Programm

des

Grossherzoglichen Gymnasiums zu Mainz.

Schuljahr 1884—85.

Inhalt:



Mainz,
Buchdruckerei von H. Prickarts.
1885.

1885. Progr. Nr. 574.

THUCYDIDEA.

SCRIPSIT

FR. KIESER.

Linguae Graecae leges syntacticae ut recte cognoscantur, non ex omnium eius aetatum idiomatis certae quaedam atque omnibus scriptoribus communes regulae constituendae sunt, sed distinctis pro temporum atque hominum ratione atque ingenio exemplis sua cuique aetati indoles tribuenda est. Quae ratio etsi omnibus viris doctis probata esse videtur, tamen singulorum scriptorum in singulis rebus loquendi usus ita adhuc diligenter observatus non est, ut, quod in iudicium vocemus, nihil iam sit reliquum. Atque etiam Thucydidis dicendi consuetudo huc referenda esse videtur. Quamquam enim per hos annos in opere eius emendando et interpretando a viris doctis multa, quae partim in editionibus breviter denotata, partim in singulis libellis fusius tractata inveniuntur, prolata sunt, tamen, ut unum commemorem, modorum delectus, quis sit Thucydideus, satis adhuc investigatus non est. Nec, cur ita factum sit, adeo difficile est ad cognoscendum. Videbatur enim modorum delectus et aliorum scriptorum et Thucydidis adeo esse perspicuus, ut multi viri docti tempus atque oleum se perdituros esse existimarent, quamquam longe abesset, quin recte omnia intellegerent.

Verum enim vero, postquam Delbrueckius [1]) magno ingenii acumine in modorum usum inquisivit Homericum, luculentissime demonstrabatur modorum et vim primariam et usus varias vicissitudines examinandas plus quam par erat neglectas fuisse. Nec tum viri docti deerant, qui alii alios scriptores sibi eligerent perscrutandos. Sed pauci adhuc in Thucydidis modorum delectu perlustrando elaboraverunt: nam praeter P. Widmannum [2]), G. S. Jacobsonum [3]), H. Wagnerum [4]) nemo, quantum scio, modorum usui proprie Thucydideo enucleando operam navavit.

Qua re mihi liceat horum virorum studiis parva mea adiungere, in quibus mihi propositum est, quomodo Thucydides in enuntiatis relativis et temporalibus coniunctivum et optativum modos adhibuerit atque elegerit, accuratius inquirere. Quod mihi ita videor rite absolvere, ut non modo eam rationem in iudicium vocaturus sim, qua Thucydides his modis usus sit, verum etiam breviter eam attingam, qua ipsos evitarit iisque omissis illa conformarit.

Caput I.

De modorum vi primigenia et quam vocant deductiva.

Modorum vis quae fuerit primaria quaeque paulatim evenerit secundaria, adhuc sub iudice lis est. Neque ego meum esse puto omnia, quae viri docti multorum saeculorum de hac re et

---

1) Syntactische Forschungen vol. I, Halle 1871.

2) de finalium enuntiatorum usu Thucydideo diss. Gotting. 1875.

3) de usu sent. fin. Thucyd. commentatio academica Ups. 1877.

4) de usu part. πρίν Thuc. et Xenoph. diss. Suerin. 1879, cf. etiam: Beiträge zur hist. Syntax d. Griech. Sprache ed. Schanz, I Nr. 3.

vera et falsa protulerint et libellis, quorum ingens est numerus, mandaverint, digesta hic perlustrare: nam et longum est et ab huius operis angustiis alienum [1]), sed ea tantum paucis comprehendam, quibus id, de quo agitur, illustrari atque explicari puto.

Ac primum quidem iam veteres grammatici quodammodo recte adumbraverunt modorum voluntatem, cum eos ad varias διαθέσεως, ut vocabant, ψυχῆς formas adhiberi dicerent describendas [2]). Sed haec veterum grammaticorum doctrina etsi nunquam plane evanescebat, tamen paulatim obsolescebat, et recentiores viri docti magis magisque modos ad logices et cognitionis rationes referebant, quasi lingua iam antiquitus omni ex parte perfecta atque absoluta cogitatione ad certum quoddam propositum inventa esset, et ideo etiam modis eae tantum rationes inter subiectum et praedicatum intercedentes significarentur, quae cogitationi et cognitioni inserviunt denotandis [3]).

Et multos per annos haec doctrina omnium fere virorum doctorum florebat significatione, donec alii viri docti exstiterunt [4]), qui ut totius linguae ita etiam modorum indolem non ad logices, sed ad psychologiae rationes revocandam esse censerent. Ac recte quidem ita fecisse videntur. Nam duo potissimum animi virium sunt genera, alterum, quod cognitioni, alterum, quod voluntati inservit, et ideo unumquodque enuntiatum aut cognitionis est (Erkenntnissatz) aut voluntatis (Begehrungssatz). Atque haec regula tam diu neglecta nunc quidem omnibus viris doctis ita probata esse videtur, ut vix quisquam inveniatur, quin omnes modorum varietates et ad solam hanc rationem esse revocandas et ab sola hac ratione deducendas esse putet. Sed qua via ac ratione id faciendum sit, in apertum discrimen adhuc ventum non est. Alii enim omnes notionum varietates, et quae voluntati et quae cognitioni inserviunt designandis, ad unam notionem revocandas esse censent supremam ac primigeniam et inde ceteras omnes fluxisse existimant, ut Delbrueckius l. l., alii iam primitus in modis has notionum differentias fuisse positas censent [5]). Itaque, quid mihi sit ea de re iudicii, paucis exponam.

Si quis in adumbrandis formarum primigeniis notionibus eam sequitur rationem, ut a simplicissima significatione, quae haud absona videtur esse a populorum prima infantia atque ingenii tarditate, sibi proficiscendum esse existimet, certe facere non poterimus, quin ad huius nos applicemus doctrinam. Atque sic statuenti rectam mihi viam iniisse videtur Delbrueckius l. l., qui eas partes coniunctivum et optativum primas suscepisse putat, ut ille voluntati, hic optioni inserviret designandis, neque Langius [6]) recte fecisse, quod primariam vim optativi habendam esse „cogitandi" censet ideoque hunc modum „Modus der Einbildungskraft" nominat. Etenim si res cogitatur atque cogitata animo fingitur, certe valde subtili opus est sentiendi ratione et ab hominum antiquissimorum agresti ingenio nimis recedente. At desideratio rerumque appetitus, quae sensibus subiecta ac percepta sunt, ita in ipsis hominum antiquissimorum primis animi motibus posita esse videntur, ut equidem ea cum Delbrueckio vel prima ab hominibus sermone denotata esse iudicem.

---

1) cf. quae Koppinius: Beitrag zur Entwickelung und Würdigung der Ideen über die Grundbedeutungen der griech. Modi, Stade, Gymnasial-Programm 1877/80 de hac re summa cum diligentia collecta et subtiliter disputata exhibet.

2) cf. Choerob. in Bekk. anecd. II pag. 1274. Prisc. VIII, 67: modi sunt diversae inclinationes animi, quas varia consequitur declinatio verbi.

3) cf. Koppin. l. l. pars. I.

4) cf. Koppin. l. l. pars. II.

5) cf. Koppin. l. l.

6) Hom. Gebrauch d. Part. εἰ, 1872.

Iam vero, si coniunctivum primo certi eventus voluntati et optativum incerti effectus desiderio inserviisse denotandis recte statuimus, qua inde ratione modorum usus magna evaserit varietas, nobis erit dicendum.

Ac primum quidem coniunctivus si is primitus erat modus, qui certae eius, qui loquebatur, voluntati inserviret indicandae, facile potuit fieri, ut haec vis primigenia fluctuaretur, prout is, qui loquebatur, voluntati suae plus vel minus adderet vigoris atque gravitatis; nam ubi adstricta voluntatis virium contentio remissa erat, etiam adhortationis gravitas infringebatur, ita ut ad postremum exspectatio tantum relinqueretur [1]). Quem in modum quo magis certa voluntas vigore suo tanquam exuebatur, eo magis etiam coniunctivus ad incerti ideoque futuri eventus exspectationem descendebat. Sed hanc notionis primigeniae attenuationem usque eo progressam esse, ut coniunctivus exspectationis affectum paulatim prorsus amitteret atque soli cogitationi inserviret indicandae, quis est qui Delbrueckio credat? Immo, ut enuntiatum, quo quid praedicatur, nunquam, si quidem sensus integer relinquitur, transire potest in enuntiatum, quo quid appetitur, ita etiam coniunctivus voluntatis vel exspectationis nunquam transire potuit in coniunctivum cogitationis [2]). Ex quo efficitur, ut coniunctivus iam primis temporibus alteram eamque a priore alienam notionem assumpserit, cum non modo ad voluntatem vel exspectationem, sed etiam ad futurae plerumque rei cogitationem serviret denotandas.

Optativus autem, ut supra iam vidimus, ita primitus fuisse usui videtur, ut incerti effectus desiderio inserviret indicando. Sed et hunc modum primam optandi vim adeo amisisse, ut optatio rei cogitatae cesserit cogitationi rei ne optatae quidem, h. e. optandi notionem exuisse et cogitandi vim suscepisse, quis crediderit eidem Delbrueckio? Quod si optatio nunquam deflectere potuisse ad cogitationem censenda erit, illud Delbrueckii et Langii: quae optativi vis fuerit primaria quaeve secundaria, ita mihi optime diiudicari posse videtur, ut etiam optativorum duo fuisse genera inter se diversa putemus, quorum alterum idque prius ad incerti eventus optionem, alterum idque posterius ad cogitationem rei coniuncte elatae inserviret designandas.

Hae igitur modorum sunt notiones, quas primarias fuisse et quas secundarias putamus. Ac quamvis non omnia usus genera apud Thucydidem inveniantur, tamen haec nobis praemittenda esse visa sunt, quo facilius is cognosceretur modorum delectus, quem Thucydides in enuntiatis relativis et temporalibus fecit.

Caput II.

Enuntiata relativa.

Qua in operis parte, ut est propositum, ad eam accedo rationem adumbrandam, qua Thucydides in enuntiatis relativis post varia temporum genera modorum fecerit delectum. Sed cum haec quaestio segregari nequeat ab illa, quae sit enuntiatorum relativorum natura atque origo, paucis mihi antea de hac re disceptandum esse puto.

Fuit igitur, id quod supra iam monui, ita aliquando loquendi ratio comparata, ut enuntiata nulla accedente particula adicerentur enuntiatis. Ac quamquam iam apud Homerum non modo absolutorum, verum etiam subiunctorum enuntiatorum promiscue usurpantur formae, tamen illud prius dicendi genus fuisse vel inde apparet, quod loquendi ratio paratactica temporum progressu ita cesserit hypotacticae, ut, cum apud Homerum magna eius servata sint vestigia, apud scriptores Atticos eiusdem dicendi consuetudinis non inveniantur nisi parva atque exigua. Duae autem potis-

1) cf. Delb. l. l.

2) cf. etiam Koppin. l. l. II, pag. 20 sq.

simum causae erant, quae huic enuntiatorum generi inservirent excolendo, altera, quod enuntiatorum copulatio correlativa aliquando latissime patebat, altera, quod pronomen relativum paulatim segregari coeptum est a pronomine demonstrativo. [1])

Habebat enim pronomen ὅς, ἥ, ὅ, quod relativum appellare consuevimus, vim primariam non relativam sed demonstrativam, ut vel eo perspici licet, quod Homericum ὁ, ἡ, τό aeque ac nostrum: der, die, das, vice funguntur relativi. Quinam autem factum sit, ut notio demonstrativa transiret in relativam, intellegi nequit, nisi pronomen ὅς, ἥ, ὅ volventibus annis eas proprie partes suscepit, ut, quae antea in oratione commemorata iam essent, iterum breviter denotaret, cuius generis pronomen grammatici nomine nuncuparunt anaphorici. Atque ex hac notione anaphorica paulatim evasit relativa, quam iam apud Thucydidem solam exstare scimus. Atque hoc pronomine relativo quantopere adiuta sit subiunctionis origo atque propagatio, vel ex eo cognoscitur, quod omnes fere coniunctiones, quae loquendi rationem subiunctam denotant, ab ipsius stirpe sunt derivatae.

Quibus rebus praemissis iam, unde egressi sumus, revertamur ac, quid inde de modorum delectu, qualis sit Thucydideus, disci possit, nobiscum consideremus.

Enuntiata igitur quae vocantur relativa apud Homerum altera ex parte sui sunt iuris, ex quo efficitur, ut modi eadem notione, quae enuntiatorum primariorum erat, servata usui sint, ideoque et coniunctivi qui vocantur voluntatis vel exspectationis et optativi cum primigenia sua optandi notione multi inveniantur [2]), altera ex parte enuntiatorum primariorum iam adeo tenentur dicione atque potestate, ut sui iuris magnam partem amiserint eorumque modi aut debilitata vi primaria adhibeantur aut omnino novas partes susceperint, quo fit, ut et coniunctivi, quibus conditio praesens vel futura animo fingitur, et optativi, quibus cogitatio eius, qui loquitur, exprimitur, permulti reperiantur. [3]) Atqui apud Thucydidem enuntiata relativa etsi non omni ex parte instar sunt facta enuntiatorum subiunctorum, ut et alibi absolutae dictionis apud eundem permagna reliqua sunt vestigia, tamen suae potestatis vigore atque gravitate adeo iam privata sunt, ut in dicionem vel verbi vel nominis redacta enuntiata vere secundaria ducenda esse videantur. Atque id quo iure credamus, vel ex eo perspici potest, quod eae modorum notiones, quibus apud Homerum enuntiata relativa sui quondam iuris fuisse luculentissime demonstratur, apud Thucydidem in eodem enuntiatorum genere omnino non reperiuntur.

Sed nunc iam exemplis quae exstant illustrabo, qua Thucydides ratione in enuntiatis relativis coniunctivum atque optativum usurpaverit.

A. Coniunctivus.

Unum coniunctivorum genus, quo solo Thucydides in enuntiatis relativis utitur, id est, quo conditio vel praesens vel futura cogitatione fingitur atque denotatur, id quod viri docti: Coniunctive der fallsetzenden Annahme, futurischen Vorstellung, similiter nominare solent. Coniunctivorum igitur, qui vocantur voluntatis, quorum apud Homerum magnus est numerus, ne unus quidem invenitur Thucydideus, et ipsorum exspectationis coniunctivorum certa quidem vestigia nulla manserunt, quamquam de uno vel altero, quanam notione praeditus sit, dubitari potest. Nam IV, 17, 1 si legimus: *ἔπεμψαν ἡμᾶς Λακεδαιμόνιοι περὶ τῶν ἐν τῇ νήσῳ πράξοντας ὅ τι ἂν ὑμῖν τε ὠφέλιμον*

1) cf. Windisch: Ueber Ursprung d. Relativ-pronomens, in Curt. stud. vol. II, pag. 201 sq., Jolly: Ueber einfachste Form der Hypotaxis, ibidem VI pag. 208 sq., Foerster: de attractione enunt. rel., Delbrueck: Synt. Forsch. I, pag. 30 sq., Lange: Hom. Gebrauch d. Part. *εἰ*, alii.

2) cf. Delb. l. l. pag. 36 sq. et 129 sq.

3) cf. Delb. pag. 42 sq. et 132 sq.

ὃν τὸ αὐτὸ πείθωμεν καὶ ἡμῖν ἐς τὴν ξυμφορὰν κόσμον μάλιστα μέλλῃ οἴσειν, cogitari quidem potest illis *πείθωμεν* vel *μέλλῃ* coniunctivis denotari Lacedaemoniorum exspectationem, sed cavendum esse videtur, ne participio futuri *πράξοντας*, quod sensu finali positum esse manifestum est, commoti exspectationem inesse statuamus, ubi coniunctivo ipso nihil videtur denotari nisi incerti ideoque futuri eventus cogitatio. Similiter VI, 31, 3: *οὗτος δὲ ὁ πόλεμος ὡς χρόνιός τε ἐσόμενος καὶ κατ' ἀμφότερα, οὗ ἂν δέῃ, καὶ ναυσὶ καὶ πεζῷ ἅμα ἐξαρτυθεὶς*, coniunctivo *δέῃ* non tam ii varii usus significari videntur, qui, ut venturi essent, magno cum animi affectu exspectabantur, sed ii, qui animi cogitatione futuri fingebantur. Ceterum, ut iam dixi, eiusmodi coniunctivorum, de quibus dubitari potest, num exspectationis habendi sint, tanta est paucitas, ut equidem praeter hos duos certum quidem atque indubium nullum invenerim. Nec qua ratione illi exspectationis coniunctivi evanuerint, adeo difficile est dictu. Nam ut ceteri pedestris orationis scriptores ita etiam Thucydides pro eiusmodi coniunctivis, qui certe ratam fore voluntatem vel exspectationem significant, vicarium supposuit indicativum futuri, quem inter atque coniunctivum id tantum discriminis primitus intercessisse videtur, ut hic rem exspectatam denotaret, ille eandem non nisi futuram depingeret, donec paulatim illius partes quodammodo susciperet, quod eo facilius potuit fieri, quo saepius positus erat post verba curandi atque ita horum verborum voluntatem quadam ex parte induere coeperat. Atque hic indicativus futuri, quod vulgo finale nominatur, ut est frequentissimus in enuntiatis coniunctione *ὅπως* ornatis, quae in medio collocata sunt inter enuntiata finalia, quorum legitimus est modus coniunctivus aoristi *ἂν* particula non instructus, et enuntiata relativa, ita etiam in enuntiatis relativis apud scriptores persaepe usurpatus invenitur. Et ne Thucydidem quidem ab hac dicendi consuetudine recedere, exemplis nonnullis illustrabo.

VI, 91, 4. *στρατιὰν πέμψετε τοιαύτην, οἵτινες ὁπλιτεύσουσιν εὐθύς, καὶ ἄνδρα Σπαρτιάτην ἄρχοντα, ὡς ἂν τούς τε παρόντας ξυντάξῃ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας προσαναγκάσῃ*, ubi indicativum futuri in enuntiato relativo eadem fere notione usurpatum esse liquet ac coniunctivum aoristi *ἂν* particula ornatum in enuntiato finali *ὡς* particula introducto. Similiter VII, 49, 2 iuxta VIII, 1, 3, et VIII, 39, 2 iuxta IV, 17, 1, et VIII, 63, 4 cl. VII, 7, 3, et IV, 118, 13 iuxta 118, 14.

I, 65, 2 *ἐς τὴν Πελοπόννησον ἔπρασσεν, ὅπῃ ὠφελία τις γενήσεται*, ubi enuntiatum relativum voluntatem vel exspectationem denotare manifestum est. Quibus adde: I, 19. 52, 3. 56, 2. 90, 3. 91, 2. 107, 4. III, 16, 3. 109, 1. IV, 8, 8. 22, 1. 128, 5. VI, 11, 6. 21, 1. 44, 4. VIII 43, 2. 48, 4. 63, 4. 67, 1, alia.

Sed iam unde aberravit oratio, revertar. Coniunctivus igitur in enuntiatis relativis apud Thucydidem is est, quo conditio vel praesens vel futura cogitatione fingitur. Ex quo efficitur, ut proprie ponatur post tempora primaria, ut pote quorum actiones num eventum habiturae sint, ita certis quibusdam adiunctionibus teneri dicantur. Idem si post tempora secundaria usu venit, ex obliquo dicendi genere explicari potest, quo, quae homines cogitaverunt, dixerunt, fecerunt, non ad tempus praeteritum referuntur, sed quodammodo recentia ante oculos ponuntur ac narrando repraesentantur, velut si actionum eventus non ipso tempore praeterito irritus sit sed nunc demum ratus fiat.

Ceterum hoc loco monendum esse videtur, illam temporalem relationem in ipsa coniunctivi forma primitus non fuisse positam. Sed cum eae coniunctivi notiones, quas primigenias fuisse supra iam diximus, sive voluntatis sive exspectationis, re vera ad nihil aliud spectent nisi ad tempus praesens vel futurum, etiam is coniunctivus, quo res cogitando tantum fingitur, easdem relationes paulatim suscepisse censendus est. Atque ita optime explicari potest, quod discrimen coniunctivum inter et optativum cogitandi notione utrumque praeditum intercedat. Sed de hac re infra disputabimus.

I. Tempora antecedunt primaria.

a. particula ἄν deest.

tempora sunt praesentia.

III, 43, 5. *νῦν δὲ πρὸς ὀργήν, ἥντινα τύχητε, ἔστιν ὅτε σφαλέντες τὴν τοῦ πείσαντος μίαν γνώμην ζημιοῦτε.*

Temere hic Madvigius *ἥν τινα τύχητε* reponendum esse proposuit et Stahlius *ἥντιν' ἂν τύχητε* scripsit „ex constanti huius locutionis usu, quae et origine et sententia simillima est pronomini „quilibet", cl. Thucyd. VIII. 48, 5 et Demosth. IX, 54. XXIII, 72, et Herwerdenus [1]) *ἥν τι τύχητε σφαλέντες* coniecit.

Itaque quid mihi sit hac de re iudicii paucis exponam.

Particulae ἄν naturam Delbrueckius l. l. pag. 84 sq. ut equidem puto rectissime eam fuisse iam primigeniam statuit, ut ad actionis effectum spectaret eumque condicionibus implicitum denotaret. Itaque per se patet hac particula proprie modorum vim illustrari, ut qui res aut appetitu desideratas aut cogitatione fictas designent, quarum eventus aut certus aut incertus cogitari potest, prout is, qui loquitur, effectum animo fingit. Et huius particulae usus temporum progressu in certas quasdam leges redactus est, quas scriptores eo diligentius observabant ac propagabant, quo plures praeterierant aetates ac tempora. Sed huius usus gradus atque progressus describere cum ab nostrarum chartarum angustiis abhorreat, pauca tantum afferamus.

Atque Homerus quidem ἄν vel *κέν* particulas saepe addit, saepe omittit, ubi posterorum scriptorum dicendi consuetudine semper ἄν postulatur. Nam ut unum laudem enuntiatorum genus, in enuntiatis relativis coniunctivi et voluntatis et exspectationis et futurae rei cogitationis circiter octogies inveniuntur nudi et circiter centies quadragies ἄν vel *κέν* particulis instructi. Deinde lyricorum aut tragicorum poetarum dicendi consuetudinem si perlustramus, non iam eadem numerorum ratio intercedit inter utrumque loquendi usum, sed coniunctivorum ἄν vel *κέν* particulis ornatorum aliquanto est maior frequentia. [2]) Tum Herodotus coniunctivos nudos exhibet II, 85, ubi antecedit coniunctivus ἄν instructus, IV, 46. 66. 172. I, 132. (v. l. *ἐθέλει.*) I, 216, ubi Steinius quidem *ἐπιθυμήσῃ* pro indicativo futuri rescribendum esse censet. Quidni igitur Thucydides, ut saepissime alibi antiquiore quodam et a poetarum idiomatis saepe haud alieno loquendi genere utitur, etiam hic a legitima posterorum scriptorum dicendi consuetudine, quam exculto Attico sermone Platones aut Demosthenes secuti sunt, recedere putandus sit? Quidni Sophoclis aut Euripidis vestigia sequeretur? Aut quamnam aliam scribendi rationem sequi poterat nisi horum virorum, qui summa omnium Atticorum florebant studio ac significatione? Nonne idem ἤν et ἐάν promiscue usurpat, similiter atque in inscriptionibus eiusdem aetatis promiscue usurpantur, quia tam severae illae leges nondum constitutae erant, quarum auctoritate posteriores demum scriptores tenebantur?

Immo etiam hic nudus retinendus esse videtur coniunctivus ut IV, 18, 4 servari oportet, ubi legimus: *σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν (εἰσὶν), οἵτινες τἀγαθὰ ἐς ἀμφίβολον ἀσφαλῶς ἔθεντο — καὶ ταῖς ξυμφοραῖς οἱ αὐτοὶ εὐξυνετώτερον ἂν προσφέροιντο — τόν τε πόλεμον νομίσωσι μὴ καθ' ὅσον ἄν τις αὐτοῦ μέρος βούληται μεταχειρίζειν, τούτῳ ξυνεῖναι, ἀλλ' ὡς ἂν αἱ τύχαι αὐτῶν ἡγήσωνται.*

Quem locum et ob modorum permutationes et ob sensus latebras explicatu difficillimum [3]) ego sic intellego: Nolite credere, vestram hanc fortunam semper vobiscum futuram esse; sed in

---

1) Mnem. I, 82.

2) cf. etiam quae infra in appendice critica ad I, 139, 3 afferemus.

3) cf. quae Classenus a. l. annotavit.

numero moderatorum hominum sunt habendi, quicunque secundas res inter ambigua tuto collocaverunt — nam iidem etiam adversis haud scio an prudentius occursuri sint — et de bello qui existimaverint non ex quanta eius parte aliquis id tractare velit, se hanc partem suscipere, sed prout casus sibi duces fuerint — nam ii in secundis rebus suis, ut quae stabiles non sint, bellum component. — Ut enim Horatius dicit:

„sperat infestis metuit secundis
„alteram sortem bene praeparatum pectus“.

Indicativus *ἔθεντο* igitur significat actionem, quae re vera praeterita est ideoque experientiae succedit; optativus *ἄν* particula ornatus est potentialis quem vocant temporis praesentis; coniunctivus *νομίσωσι* condicionem animo cogitatam designat, qua actionis primariae effectus tenetur, et ideo quodammodo notionem futuri suscipit. Quibus adde: IV, 17, 2. *τοὺς δὲ λόγους μακροτέρους οὐ παρὰ τὸ εἰωθὸς μηκυνοῦμεν, ἀλλ' ἐπιχώριον ὂν ἡμῖν οὗ μὲν βραχεῖς ἀρκῶσι μὴ πολλοῖς χρῆσθαι, πλείοσι δὲ, ἐν ᾧ ἂν καιρὸς ᾖ κ. τ. λ.*, ubi et nudum et *ἄν* particula instructum coniunctivum iuxta invenimis aeque atque apud Herodotum II, 85. Nam temere hic Herwerdenus, Stud. pag. 51 ad priorem *ἄν* addendum esse putat, et altera ex parte Stahlius sibi constans non est, cum hic nudum admittat coniunctivum, quem III, 43, 5 tollat.

Ceterum monendum esse videtur VII, 25, 1 huc referri non licere. Quamquam enim omnes libri manuscripti exhibeant *οἵπερ* praeter unum Vaticanum B, tamen huius *ὅπως* solum rescribendum est aeque ac *τε* particula, quam solus idem fert, quod coniunctivus in enuntiatis relativis apud Thucydidem nusquam inservit consilio indicando, sed eius in locum ubique indicativus futuri quod vocant finalis successit [1]).

b. particula *ἄν* addita est.

1. praesens.

II, 34, 6. *ἐπειδὰν δὲ κρύψωσι γῇ, ἀνὴρ ᾑρημένος ὑπὸ τῆς πόλεως, ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι καὶ ἀξιώματι προήκῃ, λέγει ἐπ' αὐτοῖς ἔπαινον τὸν πρέποντα.*

I, 21, 2. 35, 4. 37, 4. 42, 2. (cl. 42, 3 *κἄν.*) 70, 2. 70, 7. 71, 1. 71, 5. 77, 2. II, 34, 3. 34, 6. 35, 2. 44, 1, 2, 3. 45, 2. 62, 4. III, 37, 2 (bis). 77, 5. IV, 17, 1, 2. 18, 4. 85, 6 (cf. *ἤν* ibidem). 92, 1. *εἰσὶ δήπου πολέμιοι ἐν ᾧ τε ἂν χωρίῳ καταληφθῶσι καὶ ὅθεν ἐπελθόντες πολέμια ἔδρασαν.* 92, 2. 126, 6. V, 65, 4. 105, 2. VI, 9, 2. 11, 3. cf. Class. a. l. 14, ubi *ἤν τις* exspectamus similiter ac 16, 3. 16, 5. 18, 5. 23, 2, ubi enuntiatum relativum respondet condicionali particula *ἤν* introducto. 31, 3. 92, 4 (bis) VII, 29, 4. 62, 4. 63, 1. 68, 3. 77, 4, 5.

2. perfectum praesens.

I, 140, 1. *τὴν τύχην, ὅσα ἂν παρὰ λόγον ξυμβῇ, εἰώθαμεν αἰτιᾶσθαι.* cl. III 39, 4 et V, 10, 5.

I, 35, 2. *εἴρηται τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἥτις μηδαμοῦ ξυμμαχεῖ, ἐξεῖναι παρ' ὁποτέρους ἂν ἀρέσκηται ἐλθεῖν.* (cl. 135, 3.)

3. imperativus.

II, 11, 9. *ἕπεσθ' ὅπῃ ἄν τις ἡγῆται* et VII, 68, 1, ubi coniunctivus adhortativus exstat. Saepissime imperativus vel qui eius in locum succedit infinitivus reperiuntur in foederum contextu, qui, quamquam non ex ipsius Thucydidis scribendi ratione profectus est, tamen prorsus eandem dicendi consuetudinem exhibet. Qua re haec exempla mihi breviter examinanda esse

1) cf. quae supra pag. 7 sq. a nobis dicta sunt.

videntur, ut quae in modorum delectu nihil recedant ab ipsius scriptoris loquendi ratione. V, 18, 4. *ἢν δέ τι διάφορον ᾖ πρὸς ἀλλήλους, δικαίῳ χρήσθων καὶ ὅρκοις, καθ' ὅτι ἂν ξυνθῶνται*, ubi enuntiatum relativum prorsus eadem ratione conformatum est ac I, 35, 4. *δίκαιον.... ἡμῖν πέμπειν καθ' ὅτι ἂν πεισθῆτε ὠφελίαν*. Quibus adde: IV, 118, 6. V, 18, 5. 8, 11. 23, 1, 2, 6, ubi respondet enuntiatum *ἢν* introductum, 47, 3 (bis), 4 (bis), 5, 12. VIII, 37, 3. 4. 58, 6. 7.

Et ne doriacorum quidem foederum, quae V, 77 et V, 79 leguntur, dictionem a communi enuntiatorum relativorum abhorrere compositione apparet ex locis V, 77, 6: *αἰ δέ κα τῶν ἐκτὸς Πελοποννάσω τις ἐπὶ τὰν Πελοπόννασον γᾶν ἴῃ ἐπὶ κακῷ, ἀλεξέμεναι ἁμοθεὶ βουλευσαμένως, ὅπᾳ κα δικαιότατα δοκῇ τοῖς Πελοποννασίοις*. cf. 79, 3.

4. futurum.

I, 78, 4. *θεοὺς τοὺς ὁρκίους μάρτυρας ποιούμενοι πειρασόμεθα ἀμύνεσθαι πολέμου ἄρχοντας ταύτῃ, ᾗ ἂν ὑφηγῆσθε*. II, 72, 3. *ἐπειδὰν δὲ παρέλθῃ* (ὁ πόλεμος), *ἀποδώσομεν ὑμῖν, ἃ ἂν παραλάβωμεν*. Quibus adde: III, 37, 3, ubi attractionem pronominis relativi nec cum Classeno ex *περὶ τούτων περὶ ὧν*, nec cum Ullrichio ex *περὶ τούτων ἃ ἂν δόξῃ* ortam esse censeo, sed ex *τούτων ὧν ἂν δόξῃ πέρι*, ita ut genitivus *τούτων* ab antecedente *μηδὲν* dependens partitivus habendus sit. — III, 40, 8, (quo loco contra Classenum nihil mutandum esse censeo cum Stahlio) 82, 2. IV, 22, 1. 118, 9 (in foedere), VI, 9, 2. 41, 4.

Qua in exemplorum serie ea non separata tratavi, quae orationis obliquae sunt, cum ad modorum delectum nihil intersit, utrum oratio recta sit an obliqua.

II. Tempora antecedunt secundaria.
Particula *ἂν* semper additur.

Quod enuntiatorum relativorum genus, ut supra iam dixi, obliquae orationis proprium est, qua cum res praeteritae quasi recentes animo fingantur, etiam ii modi postulantur, quibus actiones praesentes vel futuras eventum habere posse significatur.

I, 28, 2. *εἰ δέ τι ἀντιποιοῦνται, δίκας ἤθελον δοῦναι ἐν Πελοποννήσῳ παρὰ πόλεσιν, αἷς ἂν ἀμφότεροι ξυμβῶσι*, ubi actionem secundariam, quamquam rectione teneatur temporis praeteriti, tamen in tempus futurum spectare liquet.

135, 3. *οἱ δὲ πεισθέντες πέμπουσι.... ἄνδρας οἷς εἴρητο ἄγειν* (τὸν Θεμιστοκλέα) *ὅπου ἂν περιτύχωσι* (cl. 35, 2), ubi coniunctivo condicio fingitur, qua effectus actionis primariae circumscriptus est.

II, 4, 7. *ξυνέβησαν τοῖς Πλαταιεῦσι παραδοῦναι σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὰ ὅπλα χρήσασθαι ὅ τι ἂν βούλωνται*, quo coniunctivo ea exprimuntur, quae captivi post deditionem suam se passuros esse cogitatione fingunt. Quibus adde: II, 74, 1. III, 28, 1. IV, 15, 1. *ἔδοξεν αὐτοῖς ὡς ἐπὶ ξυμφορᾷ μεγάλῃ τὰ τέλη καταβάντας ἐς τὸ στρατόπεδον βουλεύειν παραχρῆμα ὁρῶντας ὅ τι ἂν δοκῇ*. 16, 2: *ὅ τι δ' ἂν τούτων παραβαίνωσιν ἑκάτεροι καὶ ὁτιοῦν, τότε λελύσθαι τὰς σπονδὰς* cl. 23, 1: *ἐὰν καὶ ὁτιοῦν παραβαθῇ*. ibidem denuo. 21, 3. 26, 5. falso hic Classenus cum B G optativum *ξυμφέροι* in textum recepit, quia optativus *ἂν* ornatus in en. rel. apud Thucydidem ubique est potentialis, de quo hic cogitari non posse liquet. (cf. infra sub optativo), sed recte Stahlius ex codicum C E M *ξυμφέρει* recepit *ξυμφέρῃ*; nam coniunctivus *ἂν* ornatus Thucydidis ex usu ac consuetudine dicendi postulatur. 36, 1 *εἰ δὲ βούλονται ἑαυτῷ δοῦναι τῶν τοξοτῶν μέρος τι καὶ τῶν ψιλῶν περιιέναι κατὰ νώτου αὐτοῖς ὁδῷ ᾗ ἂν αὐτοῖς εὕρῃ, δοκεῖν βιάσασθαι τὴν ἔφοδον*, quo loco quamquam ille *περιιέναι* infinitivus finalis per se nihil habere videtur quo offendamus, tamen haud scio an eodem loco habendus sit, quo infinitivus *δοκεῖν βιάσεσθαι*:

nam uterque infinitivus consequentiam denotat enuntiati condicionalis. Atque hunc sensum habebimus, ubi post *περιμέναι* particulam *καί* inseruerimus, quam ob insequentis *κατά* litterarum similitudinem facillime evanescere potuisse liquet. Quae si iure facio, apodosis incipit ab *περιμέναι* infinitivo, quem in oratione obliqua futuri partes suscipere posse per se intellegitur.

37, 2. 69, 2. 83, 5. 86, 1 aeque ac 88, 1. 98, 2. 114, 5. 118, 14. V, 29, 2. 30, 1. 30, 4. 34, 1. 40, 3. VI, 8, 2. 25, 2. 26, 1 (cf. 8, 2). 44, 3. 67, 1. 72, 5. 88, 1. VII, 1, 1. 7, 3. 60, 2. VIII, 1, 3. 48, 5. 56, 4. 57, 1. 64, 1. 65, 3. 67, 2. 67, 3. 93. 2.

B. Optativus.

Ut supra iam vidimus, coniunctivus in enuntiatis relativis apud Thucydidem is est, quo condicio vel praesens vel futura cogitatione fingitur, ex quo per se intellegitur, eum proprie esse positum post tempora primaria, ut pote quorum eventus vel praesens vel futurus sit; sed eundem etiam coniunctivum nihil habere, quod miremur, si in oratione obliqua post tempora secundaria invenitur, ut qua ea, quae homines introducti cogitando, dicendo, faciendo aliquando voluerint, quodammodo ad tempus praesens referantur, quasi nunc demum rata sint futura. Nunc autem quaeritur, qua ratione Thucydides in enuntiatis relativis modorum faciat delectum, si tempora, quae antecedunt, mere sunt secundaria.

Ac primum quidem si actio primaria tempore continetur praeterito, per se patet, etiam actionem secundariam illius rectione teneri ac quae illam aut antecedat aut subsequatur aut eiusdem temporis momenti sit, cogitandam esse. Sequitur, eidem actioni secundariae tempus fuisse suscipiendum, quo ratio illa temporalis inter utrumque enuntiatum intercedens conspicua fieret. Quod fieri potuit, ubi enuntiata secundaria indicativo cuiuslibet temporis exornanda erant, fieri non potuit, ubi genus dicendi ponendum erat, quod indicativum respuebat et modum aliquem exigebat. Neque enim habebat lingua Graeca tempus historicum, cuius modi actionis praeteritae suscipere poterant notionem designandam. Nam ne aoristi quidem modos, quippe qui augmento careant, ullam ad tempus praeteritum relationem continere, iam dudum ab omnibus viris doctis intellectum est. Si igitur scriptores Graeci actionem secundariam enuntiato coniuncte elato ingestam, cuius per se prorsus nulla primitus erat relatio ad actionis primariae tempus praeteritum, accuratius depingere volebant, quonam sensus nexu ac ratione cohaereret cum actione primaria, eiusmodi tantum modo uti poterant, quo actio secundaria denotaretur cogitata, propterea quod etiam actio primaria, ut quae ipsa ad tempus praeteritum remota esset, mente tantum atque animo fingi poterat.

Duo autem modi erant, quorum delectus agebatur, alter coniunctivus, alter optativus; sed illum respuerunt scriptores, hunc praetulerunt. Ac cur ita fecerint, nunc quidem erit dicendum.

Coniunctivus enim, ut supra iam vidimus, primo voluntati vel exspectationi inserviebat, quibus ut certe aliquid fieret postulabatur vel exspectabatur. Quod coniunctivorum genus ad tempus futurum spectare, sive ad tempus in enuntiato primario refertur primarium sive secundarium, liquet. Idem coniunctivus secundarias quodammodo partes eas suscepit, quibus cogitationi inserviret rei coniuncte elatae. Atque hoc quoque coniunctivorum genus paulatim relationem suscepit ad id tempus, quo res coniuncte elata omnino rata poterat fieri, h. e. ad tempus praesens vel futurum, quod eo facilius fieri poterat, quo amplior iam erat prioris illius coniunctivorum generis usus ac frequentia. Restabat igitur unum id, quid faciendum esset cogitationi rei coniuncte elatae, si ad tempus praeteritum referretur. Atqui optativus, ut supra iam dixi, et optionibus inserviebat et cogitationibus, quae utrum ratae fierent necne prorsus in medio relinquebantur.

Quis igitur modus optativo erat aptior ad res praeteritas denotandas, quae ne ipsae quidem ad effectum adduci poterant? Ac re vera optativum relationem quandam ad tempus praeteritum suscepisse, quis negabit? Quindecim enim locis optativus vel potentialis apud Homerum quidem indubia vestigia huius usus reliquit.[1]) Quid igitur mirum, optativum etiam in enuntiatis secundariis ei usui fuisse, quo cogitatio rei praeteritae denotaretur, atque ita pro eiusmodi enuntiatorum constanti usu ac frequentia paulatim vel ipsum notionis aliquantum temporis praeteriti suscepisse?

Quae si nobiscum reputabimus, neque ii optativi, qui tempora sequuntur primaria, nec qui in oratione obliqua ponuntur, nec denique qui post tempora mere secundaria inveniuntur, quod miremur, habebunt.

Sed iam ad id, quod nobis est propositum, transeamus.

I. Optativus est quem vocant potentialis.

Quod optativorum genus cogitationi inservit rei, cuius eventus, prout sibi quisque fingit, ratus aut irritus est. Ex quo efficitur, ut per se primitus quidem nihil habuerit rationis temporalis, quae inter enuntiatum relativum et enuntiatum primarium intercederet, aeque atque in enuntiatis primariis notionem temporalem non habebat, ut inde perspici potest, quod primitus quidem ad tempora et praeterita et praesentia vel futura referri poterat. Sed iam apud Homerum illius usus parva, huius permulta manserunt vestigia, et Thucydides ipse haec sola reliquit, ut vel eo cognosci potest, quod tempora quae antecedunt secundaria esse non possunt, nisi oratio est oliqua. Particulam *ἄν* denique, quam idem Homerus plerumque addit, nonnunquam omittit,[2]) Thucydides semper adiungit.

1. Tempora antecedunt primaria.

I, 33, 3. *τὸν δὲ πόλεμον, δι' ὅνπερ χρήσιμοι ἂν εἶμεν, εἴ τις ὑμῶν μὴ οἴεται ἔσεσθαι, γνώμης ἁμαρτάνει.* quibus adde: I, 80, 1. 122, 1, 3. II, 39, 1. 43, 1. 44, 2, ubi A B *ἀφαιρεθείη* exhibent, Classenus optativum servavit atque explicavit: der den bestimmten Fall nur in hypothetischer Fassung im Auge hat, cum coniunctivum qui antecedit „die Allgemeinheit" significare censet. Mira certe explicatio et ne vera quidem; nam enuntiato relativo duae condiciones prorsus eiusdem generis continentur, quarum altera est negativa, altera possitiva. Itaque rectissime mihi Stahlius cum libris manuscriptis inferioris classis coniunctivum *ἀφαιρεθῇ* restituisse videtur, ut quo condicio denotetur, qua actio enuntiati primarii circumscripta est. cf. II, 44, 1. VI, 14, 7. VI, 16, 3, VII, 68, 1 alia, quae sub coniunctivo attulimus. Sed easdem partes optativus potentialis *ἄν* ornatus nusquam suscepit. cf. 48, 3. III, 30, 4. 47, 1. 59, 1. IV, 62, 2. V, 9, 5. 90. 111, 2. VI, 13, 1. 20, 2. 34, 4. 36, 3. *ὑμεῖς δὲ ἢν εὖ βουλεύησθε, οὐκ ἐξ ὧν οὗτοι ἀγγέλλουσι σκοποῦντες λογιεῖσθε τὰ εἰκότα, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἄνθρωποι δεινοὶ καὶ πολλῶν ἔμπειροι δράσειαν.* VII, 64, 2. 69, 2, cl. 71, 4: ubi rectissime Herwerdenus codicum *ὅσα ἐν* in *ὅσ' ἂν ἐν* mutavit, quod de optativo iterativo vel qui orationis obliquae proprius nominatur ne cogitari quidem potest. 77, 7.

2. Tempora antecedunt secundaria.

Quod cum optativorum genus solum in oratione obliqua inveniatur, enuntiata relativa non tam a temporibus secundariis quam ab iis qui accedunt infinitivis pendere censenda sunt, ex quo

---

1) cf. quae egregie de hac re disputavit Urtel: Ueber den hom. Gebrauch des Optativs der abhäng. Rede. Gymn.-Progr. Weimar 1884.

2) cf. Delb. l. l. pag. 219 sq.

colligitur, ut etiam optativi remanserint vere potentiales. VIII, 54, 2. *καὶ ἐψηφίσαντο πλεύσαντα τὸν Πείσανδρον καὶ δέκα ἄνδρας μετ' αὐτοῦ πράττειν ὅπῃ ἂν αὐτοῖς δοκοίη ἄριστα ἕξειν τά τε πρὸς τὸν Τισσαφέρνην καὶ τὸν Ἀλκιβιάδην.* cf. 50, 5. 76, 6. VII, 48, 3. VI, 35, 1 (*ὅ τι!*) V, 41, 1.

II. Optativus est is qui vocatur iterativus.

Cuius usus apud Thucydidem eiusmodi tantum exempla reperiuntur, quae antecedente tempore secundario nudum exhibeant optativum. Sed illam vim iterativam cave credas ipsius in optativi forma esse positam. Neque enim per se aliud quicquam significat optativus quam actionem cogitatam. Sed cum in enuntiato primario saepe eiusmodi tempus esset, quod de actione iterata usurparetur describenda, facile poterat fieri, ut eadem cogitandi ratio in enuntiatum secundarium transferretur, quippe quod enuntiato primario arte annexum esset eiusque teneretur potestate. Qua re optativorum notio iterativa sola sententiarum primariarum natura contineri censenda erit atque facillime intellectu, cur non inveniatur assumpta nisi tempus antecedit imperfectum vel quod est eiusdem vicarium.

Ceterum hic monendum esse videtur, Thucydidem haud ita raro horum optativorum in locum fere nullo discrimine intercedente substituisse indicativos, ita ut huius generis nonnulla exempla proponere placeat, antequam ad illius digerenda transeamus. I, 93, 2. 98, 4. II, 67, 4. *τοὺς ἐμπόρους, οὓς ἔλαβον Ἀθηναίων καὶ τῶν συμμάχων, ἀποκτείναντες* cl. ibidem: *πάντας, ὅσους λάβοιεν, διέφθειρον* et III, 81, 2: *τῶν ἐχθρῶν εἴ τινα λάβοιεν, ἀπέκτεινον.* IV, 34, 1. 128, 4, alibi.

Similiter enuntiata condicionalia persaepe partes enuntiatorum relativorum susceperunt. II, 49, 1. *εἰ δέ τις καὶ προέκαμνε, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη* cl. II, 51, 1: *ὅ τι καὶ γένοιτο. ἐς τοῦτο ἐτελεύτα.* quibus adiunge: I, 18, 3. 49, 4. II, 5, 4. 49, 6. 49, 7. 75, 2. III, 21, 1. 82, 7. IV, 4, 2. 69, 2. V, 37, 2. VI, 70, 3. VII, 70, 8. 71, 3. 75, 4. 78, 1. 85, 1. VIII, 65, 2 etc.

Sed iam ad enuntiata relativa revertamur.

a. imperfectum.

I, 22, 3. *ἔλεγον, ὡς ἑκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι.* I, 50, 1. *τὰ σκάφη οὐχ εἷλκον ἀναδούμενοι ἃς καταδύσειαν.* 99, 3. 138, 3. II, 4, 1. 51, 1. 67, 4. 79, 6. 84, 3. 97, 3 ubi *εἴη*, quod mihi hoc loco servandum esse videtur, optativus est iterativus, quia reditus annui significantur aeque ac I, 99, 3. 100, 5. 100, 6. III, 1, 1. 12, 1. 16, 1. 82, 8. IV, 4, 2 (bis). 26, 7. 32, 4. 33, 2. 55, 4. 127, 2 (bis). V, 56, 4. VI, 15, 4. 69, 1. VII, 70, 1. ubi Classenus mihi quidem recte *παρεβοήθει* rescripsisse videtur ex codicum corruptelis. 70, 4. 70, 6. VIII, 14, 1 66, 1. 93, 2.

b. participium ad imperfectum adiectum.

IV, 26, 6. *καὶ ἐσῆγον ἄλλοι τε παρακινδυνεύοντες καὶ μάλιστα οἱ Εἵλωτες, ἀπαίροντες ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου ὁπόθεν τύχοιεν.* II, 52, 4. IV, 4, 2. 54, 4. VII, 29, 4 (bis). 76. VIII, 68, 1 *κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν* et paulo infra: *καὶ ἐν δήμῳ πλεῖστα εἷς ἀνὴρ, ὅστις ξυμβουλεύσαιτό τι, δυνάμενος ὠφελεῖν,* quo loco quamquam tres optimi codices A B M *ἃ ἂν γνοίη* ferunt, tamen *ἂν* particula ex usu Thucydideo reicienda est.

c. participium absolutum imperfecti vice fungens.

I, 5, 2. *ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον οἷς τε ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων,* quo loco ne a prioris quidem membri ratione alienum esse optativum in aperto est. IV, 34, 1. VIII, 56, 4.

d. participium ad praesens historicum adiunctum.

I, 136, 2: *διωκόμενος ὑπὸ τῶν τεταγμένων κατὰ πύστιν ᾗ χωροίη, ἀναγκάζεται κ. τ. λ.*

e. aoristus.

IV, 56, 1. *τοῖς Ἀθηναίοις τότε τὴν παραθαλάσσιον δῃοῦσι τὰ μὲν πολλὰ ἡσύχασαν, ὡς καθ' ἑκάστην φρουρὰν γίγνοιτό τις ἀπόβασις.*

Hic unus est locus Thucydideus, quo tempus praeteritum, quod antecedit, est aoristus. Qui vulgo quidem usurpatur de actionis praeteritae aut initio aut exitu, prout is, qui loquitur, actioni ineunti opponat eiusmodi, quae postea duravit, aut actioni exeunti eiusmodi, quae antea praeparata est, sed nonnunquam etiam singulos actionis praeteritae status cumulatos continet, a quo usu nominatur aoristus complexivus. cf. etiam Class. a. 1.

III. Optativus est is, qui orationis obliquae proprius nominatur.

In oratione obliqua aut servari modos orationis rectae aut indicativi vel coniunctivi in locum optativum succedere vicarium regula docet. Neque Thucydides ab hac lege recedit. At tamen quodammodo mirum est, quod apud eundem quater tantum optativi oblique dicendi generis reperiuntur pro ingenti eorum exemplorum frequentia, in quibus indicativi vel coniunctivi orationis rectae manserunt. Ac cum coniunctivorum exempla iam supra enumeraverimus, nunc etiam indicativorum pro immensa eorum silva nonnulla proferre placet.

I, 40, 2: *εἰ γὰρ εἴρηται ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐξεῖναι παρ' ὁποτέρους τις τῶν ἀγράφων πόλεων βούλεται ἐλθεῖν .... οὐ ... ἡ ξυνθήκη ἐστίν.* Quae si comparaveris cum 35, 2: *εἴρηται γὰρ ἐν αὐταῖς τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, ἥτις μηδαμοῦ ξυμμαχεῖ, ἐξεῖναι παρ' ὁποτέρους ἂν ἀρέσκηται ἐλθεῖν,* nihil esse invenies, cur priore loco Thucydides coniunctivum ponere non potuerit. Quibus adde: I, 90, 3. II, 5, 5. 74, 1. III, 52, 2. IV, 22, 2. 28, 1. *ἐκέλευεν ἥντινα βούλεται δύναμιν λαβόντα ἐπιχειρεῖν* vel VII, 85, 1. iuxta IV, 69, 3. *ξυνέβησαν τοῖς Λακεδαιμονίοις χρῆσθαι ὅτι ἂν βούλωνται.* IV, 97, 3. V, 65, 3. VI, 42, 2. VIII, 27, 2. (37, 1 cl. 37, 4 in foedere). 71, 1. 76, 7. 83, 3. 86, 7. alibi.

Denique paucis mihi disceptare liceat de infinitivo, qui in enuntiatis relativis modorum vice fungitur. Verbum finitum enim in enuntiatis secundariis ut ex oratione recta aut non mutatum transit in obliquam, aut ad optativum restringitur mutatum, ita etiam in infinitivum abire potest. Quare hic infinitivus cum in aliis enuntiatis tum in relativis usurpatus dubitari nequit, quin in modorum quoque locum successerit. Ac relativorum quidem enuntiatorum nonnulla proponam. I, 91, 5. *τήν τε γὰρ πόλιν ὅτε ἐδόκει ἐκλιπεῖν ἄμεινον εἶναι καὶ ἐς τὰς ναῦς ἐσβῆναι, ἄνευ ἐκείνων ἔφασαν γνόντες τολμῆσαι, καὶ ὅσα αὖ μετ' ἐκείνων βουλεύεσθαι, οὐδενὸς ὕστεροι γνώμης φανῆναι,* quo loco crederes fore ut aut orationis rectae indicativus *βουλεύονται* aut orationis obliquae optativus poneretur. Quibus adde: II, 13, 5. 24, 2. IV, 98, 4. V, 28, 1. 45, 2. 46, 3. 63, 4. VI, 24, 3. 25, 2. *ὅσα μέντοι ἤδη δοκεῖν αὐτῷ* iuxta *ὅσαι ἂν δοκῶσι,* quae statim sequuntur. 64, 3. VIII, 2, 1. 27, 3. 48, 5. 48, 6.

Ceterum cave confundas haec exempla cum iis, in quibus pronomen relativum partes suscepit particulae *ὥστε* consecutivae ideoque etiam infinitivus aliter est explicandus. cf. I, 2, 2: *νεμόμενοι τε τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν.* III, 49, 4. VI, 72, 3. quem locum Classenus non recte comparat cum VI, 24, 3. VIII, 72, 1.

Sed haec quidem hac tenus. Iam ad ea exempla transeamus, in quibus optativus orationis obliquae reperitur. IV, 71, 2. *ἤλπιζον γὰρ καὶ μάχην ἑκάτεροι ἔσεσθαι τῶν τε Ἀθηναίων καὶ*

τῶν προσβοηθησάντων καὶ οὕτως σφίσιν ἀσφαλεστέρως ἔχειν, οἷς τις εἴη εὔνους, κρατήσασι προσχωρῆσαι, ubi in oratione recta *οἷς τις ἂν εὔνους ᾖ* vel simile quid reponendum esset. VI, 71, 2. .. *τά τε ἄλλα καὶ σῖτον καὶ ὅσων δέοι παρασκευάσωνται,* quo loco coniunctivus orationis rectae servandus fuisse videtur, quod etiam in enuntiatis finalibus, inter quae enuntiatum relativum interpositum est, coniunctivi integri remanserunt. Quibus adde I, 95, 2. IV, 29, 3.

IV. Optativus modorum quadam attractione ortus esse videtur.

Cuius generis tria exempla inveni:

III, 9, 2: *καὶ οὐκ ἄδικος αὕτη ἡ ἀξίωσίς ἐστιν, εἰ τύχοιεν πρὸς ἀλλήλους οἵ τε ἀφιστάμενοι καὶ ἀφ' ὧν διακρίνοιντο ἴσοι μὲν τῇ γνώμῃ ὄντες καὶ εὐνοίᾳ, ἀντίπαλοι δὲ τῇ παρασκευῇ καὶ δυνάμει.* similiter VI, 91, 6.

VIII, 95, 4: *ἐκ τῶν ἐπ' ἔσχατα τοῦ ἄστεος οἰκιῶν (ἔτυχον ἐπισιτιζόμενοι), ὅπως ἀναγκάσειαν τοὺς Ἀθηναίους οὕτως ὅπως τύχοιεν ἀνάγεσθαι.*

Primo quidem obtutu hoc inter optativorum genus atque id, quod orationis obliquae proprium est, ratio quaedam intercedere videtur; iure saltem dici potest, remota enuntiatorum condicionalium vel finalium vicinitate in enuntiato relativo ipso nihil fuisse, cur optativus ponendus esset. Sed tamen altera, quae mihi probata est, explicandi ratio praestare videtur. Cum enim enuntiata relativa dependeant ab eiusmodi enuntiatis primariis, quorum ipsorum actiones cogitatione tantum finguntur, nonne ex ipsa rei natura fit, ut etiam enuntiatorum relativorum actiones cogitatae tantum evadant, ut quae illarum teneantur potestate ac nexu?

Haec habui, quae dicerem de modorum electu, quem Thucydides in enuntiatis relativis fecit. Quae si denuo nobiscum reputabimus, hae fere leges, quas Thucydides secutus sit, constituendae erunt.

I. Coniunctivus.

a. Coniunctivum particula *ἂν* omissa Thucydides tribus locis post tempora assumpsit primaria. Quo peculiari et a poetarum loquendi ratione haud alieno dicendi genere cur Thucydides usus non sit, ratione quidem ac causis demonstratum non est. [1])

b. coniunctivum particula *ἂν* addita Thucydides post tempora primaria posuit octogies ter (vicies in foederum monumentis) et post tempora secundaria quadragies ter. Ex quo colligitur, coniunctivum duplo fere plus primaria sequi tempora quam secundaria.

Ceterum enuntiata cum temporibus historicis instructa ubique ita comparata sunt, ut non nuda exstent tempora illa, sed ornata semper aut infinitivo aut participio aut coniunctivo vel optativo, ita ut enuntiata relativa non tam ab illis quam ab his pendere censenda sint. Atqui temporum secundariorum eae formae, quibus deest augmentum, nullam per se habent praeteriti notionem, sed quasi adulterinam ita assumunt, ut temporibus praeteritis saepe adiunctae ipsae quoque temporalem notionem quodammodo induant. Itaque per se patet has formas cum nec propriam habeant vim temporalem nec cum indicativi relatione temporali comparandam, ad tempora praeterita plerumque in oratione obliqua additas inprimis fuisse aptas, quibus coniunctivus enuntiationum relativarum servari posset ac retineri.

---

1) cf. quae pag. 8 de hac re disputavimus.

II. Optativus.

a. optativum potentialem particula ἄν semper ornatum post tempora primaria posuit vicies bis, post tempora secundaria sexies in oratione obliqua, ita ut remaneat verus potentialis, qui temporis praesentis proprius nominari solet.

b. optativum iterativum ubique ἄν particula carentem, uno loco IV, 56, 1, quo aoristus quem vocant complexivus legitur, excepto, semper ad tempora imperfecta vel quae eorum vice funguntur, relata exhibet quadragies quinquies.

c. optativus orationis obliquae proprius quater tantum usui est pro ingenti eorum exemplorum silva, in quibus aut indicativus aut coniunctivus orationis rectae integri manserunt.

d. optativus modorum quadam attractione ortus post tempora primaria bis, post tempora secundaria semel invenitur.

Caput III.

Enuntiata temporalia.

Cum antiquissimis temporibus loquendi genus ita comparatum fuisse videatur, ut nulla copula adiuncta enuntiata adicerentur enuntiatis, temporum progressu homines ad dilucide loquendi rationem intenti, quae relationes inter singulas sententias intercederent quove sensus vinculo cohaererent, aliquo modo sibi denotandas esse putarunt. Qua re usi sunt stirpibus pronominum, quorum notio primo fuit demonstrativa vel anaphorica, tum semper fere evasit relativa, atque inde eas voculas derivarunt, quas coniunctiones appellare consuevimus.

Ac duo quidem harum coniunctionum sunt genera, alterum earum, quae a stirpe pronominis relativi, alterum earum, quae aliunde ortae sint. Quae utraque genera ita comparata sunt, ut illud hoc adeo sit frequentius, ut praeter μέχρι, πρίν, εἰ eiusque composita omnes coniunctiones, quae ad enuntiata secundaria usurpantur variis modis introducenda, a stirpe pronominis relativi profectae sint. Sed cum nobis modo de enuntiatis relativis et temporalibus propositum sit disserere, nunc priore officio perfuncti iam ad ipsa enuntiata quae temporalia vocari solent transeamus.

Quibus sententiis denotandis inserviunt particulae Thucydideae:

ὅτε, ὁπότε, ὅταν, ὁπόταν, ἐν ὅσῳ, ἐς ὅσον, ὁσάκις, ἕως, μέχρι, μέχρι οὗ.

ἐπεί, (ἐπήν), ἐπειδή, ἐπειδάν, πρότερον ἤ, πρίν,

quae partim a stirpe pronominis relativi derivatae sunt, partim aliunde desumptae, ita ut enuntiata ipsa segreganda sint in ea, quae coniunctionibus relativis denotantur atque in ea, quae coniunctionibus aliunde ortis copulantur. Quorum enuntiatorum cum illa his multo sint frequentiora, per se intellegitur, sententias temporales praeter ipsam notionem temporalem illis particulis accurate denotatam vix quicquam habere posse, quo ab enuntiatorum relativorum recedant ratione usuque. Itaque qua ratione modorum delectum in enuntiatis relativis perlustravimus, eadem etiam enuntiata temporalia nobis perscrutanda esse per se patet.

Atque iam ad id, quod nobis est propositum, pergamus.

A. Coniunctivus.

Ut supra iam vidimus, duo sunt coniunctivorum genera, alterum quod voluntati vel exspectationi, alterum quod rei coniuncte elatae cogitationi inservit. Utriusque generis coniunctivos Thucydides in enuntiatis temporalibus admisit. Nam I, 90, 3, ubi legimus: *ἑαυτὸν ἐκέλευεν ἀποστέλλειν ὡς τάχιστα ὁ Θεμιστοκλῆς ἐς τὴν Λακεδαίμονα, ἄλλους δὲ πρὸς ἑαυτῷ ἑλομένους πρέσβεις μὴ εὐθὺς ἐκπέμπειν, ἀλλ' ἐπισχεῖν μέχρι τοσούτου, ἕως ἂν τὸ τεῖχος ἱκανὸν ἄρωσι*, facile est ad intellegendum, Themistoclem iubere legatos usque ad id temporis momentum retineri, quo exspectat fore ut murorum aedificatio ad certam altitudinem pervenerit.

Altera ex parte II, 35, 2: *μέχρι τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοί εἰσι περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἂν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαί τι ὧν ἤκουσε*, per se patet coniunctivo nec voluntatem neque exspectationem contineri, sed solam eam condicionem cogitatione fingi, qua actio enuntiati primarii rata fieri potest.

Nonnunquam quidem dubitari potest, quanam notione coniunctivus praeditus sit, sed plerumque res satis plana ac perspicua esse videtur. Itaque nunc iam quae exspectationis et quae cogitationis coniunctivos exibere exempla nobis persuasimus, digesta afferamus.

I. Coniunctivus est is, qui futurae rei exspectationi denotandae inservit.

Quod coniunctivorum genus in iis tantum enuntiatis certa vestigia reliquisse videtur, quae particulis *ἕως* et *μέχρι* vel *μέχρι οὗ* introducuntur notione „donec—bis" finali indutis.

1. *μέχρι* vel *μέχρι οὗ*.

a. particula *ἄν* deest.

α. tempora antecedunt secundaria.

praesens historicum. III, 28, 2. *Πάχης δ' ἀναστήσας αὐτοὺς ὥστε μὴ ἀδικῆσαι, κατατίθεται ἐς Τένεδον μέχρι οὗ τοῖς Ἀθηναίοις τι δόξῃ.*

aoristus. IV, 41, 1. *κομισθέντων δέ τῶν ἀνδρῶν οἱ Ἀθηναῖοι ἐβούλευσαν δεσμοῖς μὲν αὐτοὺς φυλάσσειν μέχρι οὗ τι ξυμβῶσι.* IV, 46, 3.

β. oratio est obliqua.

I, 137, 2. *τὴν δὲ ἀσφάλειαν (ἔφη) εἶναι μηδένα ἐκβῆναι ἐκ τῆς νεὼς μέχρι πλοῦς γένηται.* quibus adde in foederis monumento IV, 16, 2.

Herwerdenus, qui totam Thucydidis loquendi rationem ad severas illas leges, quas recentioris demum Atticae dictionis proprias esse iam supra monuimus, restringere studet, auctore ut videtur Schneidero.[1]) I, 137, 2 particulam *ἄν* inserendam esse putat.[2]) Sed cur idem ceteris locis omnibus: III, 28, 2. IV, 41, 1. 46, 3 et IV, 16, 2 in foederis monumento nudos coniunctivos admiserit, equidem non video causam, si omnino ratione ac causis demonstrari potest, illo loco *ἄν* particulam addendam esse, quamquam ne minima quidem eius vestigia in codicibus exstant, et his locis, qui eodem in statu sunt, *ἄν* inseri non licere. Immo, retineri oportet hos nudos coniunctivos[3]) similiter atque in foederum monumentis eiusdem aetatis et nudi et *ἄν* particula instructi coniunctivi promiscue adhibentur. Haud igitur recedit Thucydides, id quod iam in enuntiatis relativis vidimus, ab ea dicendi ratione, quae a carminum Homericorum temporibus[4])

1) cf. ad Arist. hist. nat. IV, 169.
2) cf. Stud. pag 138.
3) cf. etiam Stahl. quaest. gram. 11.
4) cf. Delbr. pag. 85 et 152 sq.

usque ad eius ipsius aetatem apud omnes fere scriptores reperiri potest. Nam, ut unum laudem fere aequalem scriptorem, Herodotus in iisdem enuntiatis ad coniunctivos *ἂν* particulam plerumque addit, sed nonnumquam etiam omittit. cf. I, 117: *παραδίδωμι μέντοι τῷδε κατὰ τάδε, ἐντειλάμενος θεῖναί μιν ἐς ἐρῆμον οὔρος καὶ παραμένοντα φυλάσσειν, ἄχρι οὗ τελευτήσῃ,* quae si cum Thucydidis I, 137, 2 comparaveris, et sensu et compositione simillima esse invenies. quibus adde IV, 119 *μέχρι δὲ τοῦτο ἴδωμεν,* III, 31. VIII, 108.

b. particula *ἂν* addita est.

oratio est obliqua. VII, 83, 2. *μέχρι οὗ δ' ἂν* (Non recte Classenus scripturam Vat. B: *μέχρι δ' οὗ ἂν* in textum recepit, quia *μέχρι οὗ* unius plenae atquae integrae particulae adeo instar factum est, ut particula *δὲ* interposita separari non licere videatur) *τὰ χρήματα ἀποδοθῇ, ἄνδρας δώσειν Ἀθηναίων ὁμήρους,* cui adde VIII, 58, 5 (in foedere).

2. *ἕως*.

particula *ἂν* semper additur.

α. tempus antecedit primarium.

praesens. VI, 77, 2. *ἢ μένομεν ἕως ἂν ἕκαστοι κατὰ πόλεις ληφθῶμεν;*

β. tempora antecedunt secundaria.

imperfectum. VIII, 29, 1. *τοῦ δὲ λοιποῦ χρόνου ἐβούλετο τριώβολον διδόναι, ἕως ἂν βασιλέα ἐπέρηται.*

aoristus. VII, 16, 1. *αὐτῷ (Νικίᾳ), ἕως ἂν ἕτεροι ξυνάρχοντες αἱρεθέντες ἀφίκωνται, τῶν αὐτοῦ ἐκεῖ δύο προσείλοντο,* quo loco certam Atheniensium exspectationem denotari liquet. Ceterum haud scio an illud *ἐκεῖ* iam Kruegero suspectum cum Herwerdeno delendum sit, qui recte mihi contra Classenum emphasi hic locum non esse contendere videtur. Et iam scholiasta in *αὐτοῦ ἐκεῖ* adverbiorum copulatione offendisse videtur, ita ut falso interpretari cogeretur: *τῶν στρατιωτῶν αὐτοῦ, ἤγουν τοῦ Νικίου.*

γ. oratio est obliqua.

III, 97, 1. *ἰέναι ἐκέλευον ὅτι τάχιστα ἐπὶ τὰς κώμας καὶ μὴ μένειν ἕως ἂν ξύμπαντες ἀθροισθέντες ἀντιτάξωνται.* I, 28, 5. 29, 5. 90, 3. II, 7, 2. IV, 30, 4. VIII, 11, 2. 84, 5.

II. Coniunctivus est is, qui rei coniuncte elatae inservit cogitationi.

Quod coniunctivorum genus illo aliquanto est frequentius atque semper *ἂν* particula ornatur, qua condiciones, quibus actiones implicitae sunt, denotari atque augeri manifestum est. Qua in re quantopere ab Homeri dicendi usu recedat Thucydides, facile inde cognosces, quod ille circa quadragies *ἂν* omittit et centies quadragies addit [1]), hic semper *ἂν* adiungit.

1. *ἕως, ἐν ὅσῳ, ἐς ὅσον,*

quibus coniunctionibus enuntiata introducuntur secundaria, quorum actiones idem in tempus cadunt atque sententiarum primariarum, quam ob temporum congruentiam particulae notione: quamdiu, dum, quoad — so lange als, während, indutae evadunt.

α. tempora antecedunt primaria.

praesens. II, 35, 2. cf. supra pag. 17.

imperativus. II, 72, 3. *αὐτοὶ δὲ μεταχωρήσατε ὅποι βούλεσθε, ἕως ἂν ὁ πόλεμος ᾖ,* ubi coniunctivo temporis spatium, per quod bellum duraturum sit, cogitatione fingi apparet.

---

1) cf. Delb. l. l. pag. 163 sq., 183 sq.

participium futuri. III, 82, 2. *καὶ ἐπέπεσε πολλὰ καὶ χαλεπὰ κατὰ στάσιν ταῖς πόλεσι, γιγνόμενα καὶ ἀεὶ ἐσόμενα, ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις τῶν ἀνθρώπων ᾖ*, quo loco condicio, qua actio participii futuri eventum habitura est, coniunctivo cogitata denotatur.

β. tempora antecedunt secundaria.

aoristus. I, 58, 2. *τοῖς τε ἐκλιποῦσι τούτοις τῆς ἑαυτοῦ γῆς τῆς Μυγδονίας περὶ τὴν Βόλβην λίμνην ἔδωκε νέμεσθαι, ἕως ἂν ὁ πρὸς Ἀθηναίους πόλεμος ᾖ.*

γ. oratio est obliqua.

VIII, 87, 1. *τῇ δὲ στρατιᾷ προστάξειν ἔφη Ταμὼν ἑαυτοῦ ὕπαρχον, ὥστε τροφὴν ἐν ὅσῳ ἂν αὐτὸς ἀπῇ διδόναι.* quibus adde III, 28, 1. VIII, 81, 3.

2. *ὅταν* et *ὁπόταν*,

quas inter particulas id tantum discriminis intercedit, ut illa plerumque simplicem haec iteratam actionem denotet.

α. tempora antecedunt primaria.

praesens. VI, 86, 3. *οἵδε ὑμῖν ἀεί τε ἐπιβουλεύουσι καὶ ὅταν καιρὸν λάβωσι, οὐκ ἀνιᾶσιν.* I, 141, 6. 142, 9, ubi actio iterata cogitatione fingitur. cf. Class. a. l. II, 11, 6. 43, 1. III, 39, 7. 56, 7. IV, 60, 2. VI, 3, 1.

imperativus. I, 36, 1. *γνώτω οὐ τὰ κράτιστα προνοῶν, ὅταν ἐς τὸν μέλλοντα πόλεμον ἐνδοιάζῃ χωρίον προσλαβεῖν*, cui adde V, 47, 7 in foederis monumento.

infinitivus imperativi loco. V, 9, 7. *σὺ δέ, Κλεαρίδα, ὕστερον, ὅταν ἐμὲ ὁρᾷς ἤδη προσκείμενον, αἰφνιδίως τὰς πύλας ἀνοίξας ἐπεκθεῖν καὶ ἐπείγεσθαι ὡς τάχιστα ξυμμῖξαι*, qui quidem infinitivus unicus est, quem Thucydides loco imperativi secundae personae singularis admisit [1]), nam VI, 34, 9 verba aliter comparata sunt.

futurum. I, 121, 1. *ὅταν ἀμυνώμεθα Ἀθηναίους, καταθησόμεθα αὐτὸν (τὸν πόλεμον) ἐν καιρῷ.* I, 121, 4. 142, 1. 144, 2. II, 64, 1. IV, 64, 3. 126, 6. V, 98.

β. tempora antecedunt secundaria,

quae quidem exempla ita comparata sunt, ut enuntiata temporalia non ad nuda relata sint tempora secundaria, sed semper aut infinitivo aut participio aut coniunctivo ornata, ita ut non tam ab illis quam ab his pendere censenda sint.

participium ad imperfectum relatum. IV, 5, 1. *οἱ δὲ . . . ἐν ὀλιγωρίᾳ ἐποιοῦντο, ὡς ὅταν ἐξέλθωσιν ἢ οὐχ ὑπομενοῦντας σφᾶς ἢ ῥᾳδίως ληψόμενοι βίᾳ.* similiter 77, 2.

aoristus. VI, 79, 1. *ἣν (ξυμμαχίαν) ἐποιήσασθε . . . Ἀθηναίοις βοηθεῖν, ὅταν ὑπ' ἄλλων, καὶ μὴ αὐτοὶ ὥσπερ νῦν τοὺς πέλας ἀδικῶσι;*

coniunctivus dependens ab imperfecto. VIII, 90, 3. *ἦν δὲ τοῦ τείχους ἡ γνώμη, ἵνα τοὺς πολεμίους ὅταν βούλωνται καὶ ναυσὶ καὶ πεζῷ δέξωνται.*

γ. oratio est obliqua.

VI, 93, 3. *ὁ δὲ ἐκέλευεν . . τὰς λοιπὰς (ναῦς) παρασκευάζεσθαι, ὅσας διανοοῦνται πέμπειν, καὶ ὅταν καιρὸς ᾖ ἑτοίμας εἶναι πλεῖν.* I, 62, 3, ubi *ἤν* et *ὅταν* ut saepe nullo fere discrimine promiscue ponuntur. VII, 50, 3. VIII, 11, 3. VIII, 86, 8.

Quibus adde ea exempla, quae *ὁπόταν* particulam exhibent: II, 84, 2. *τὴν ἐπιχείρησιν ἐφ' ἑαυτῷ ἐνόμιζεν εἶναι, ὁπόταν βούληται.* IV, 21, 2. V, 7, 5. VIII, 67, 3.

Iam nunc ad ea enuntiata temporalia transeamus, quae particulis a stirpe pronominis relativi non derivatis introducuntur.

---

1) cf. Krueg. Sprachlehre 55, 1.

3. ἐπειδάν.

α. tempora antecedunt primaria.

praesens. II, 34, 3. *ἐπειδὰν δὲ ἡ ἐκφορὰ ᾖ, λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγουσιν ἅμαξαι φυλῆς ἑκάστης μίαν*, quo loco particula *ἐπειδάν* pro *ὁπόταν* posita esse videtur, quia enuntiatum temporale congruens habendum est, cum ipso in funere faciendo plaustra usui sint, quibus corpora mortuorum ad sepulturae locum devehuntur. cui adde: II, 34, 6. V, 103, 2. VII, 66, 3.

futurum. II, 72, 3. *ἐπειδὰν δὲ ὁ πόλεμος παρέλθῃ, ἀποδώσομεν ὑμῖν, ἃ ἂν παραλάβωμεν.* VII, 67, 2.

β. tempora antecedunt secundaria.

imperfectum. V, 65, 4. *ἐβούλετο δὲ τοὺς ἀπὸ τοῦ λόφου βοηθοῦντας ἐπὶ τὴν τοῦ ὕδατος ἐκτροπήν, ἐπειδὰν πύθωνται, καταβιβάσαι*, quo loco coniunctivus quod miremur non habet, cum enuntiatum temporale non tam imperfecti *ἐβούλετο* quam participii *βοηθοῦντας* rectione teneri liqueat.

Neque alia est ratio eorum enuntiatorum, quae in foederum monumentis leguntur non particula *ἐπειδάν* sed *ἐπήν*, quae Thucydidea non est, introducta. cf. V, 47, 6. VIII, 58, 6. 58, 7, ubi bis imperativus, semel eius vicarius infinitivus antecedunt.

4. πρότερον ἤ et πρίν.

a. particula ἄν deest.

α. tempora antecedunt primaria.

praesens. VII, 63, 1. *ὧν χρὴ μεμνημένους μὴ πρότερον ἀξιοῦν ἀπολύεσθαι ἢ τοὺς ἀπὸ τοῦ καταστρώματος ὁπλίτας ἀπαράξητε.* Ceteris locis omnibus *πρίν* legitur. cf. VI, 10, 5. 38, 2.

β. tempora antecedunt secundaria, quae ubique aut infinitivo aut participio aut optativo ornata sunt, ita ut enuntiata *πρίν* introducta non tam ab illis quam ab his dependeant. VIII, 9, 1. *οὐ προυθυμήθησαν ξυμπλεῖν, πρὶν τὰ Ἴσθμια διεορτάσωσι.* VIII, 9, 3. *αἴτιον ἐγένετο οἱ ὀλίγοι οὐ βουλόμενοι πολέμιον ἔχειν, πρίν τι καὶ ἰσχυρὸν λάβωσι.* VI, 29, 2. *ἐπεμαρτύρετο ὅτι σωφρονέστερον εἴη μὴ μετὰ τοιαύτης αἰτίας πρὶν διαγνῶσι πέμπειν αὐτόν.*

Cur Herwerdenus ubique ad *πρίν* coniunctionem particulam *ἄν* addendam esse censeat ac re vera in textum receperit, apud *πρότερον ἤ* eandem respuat, equidem video nec causam nec rationem. Apud Homerum quidem coniunctivus semper nudus est [1]); lyricorum poetarum primi *ἄν* addiderunt Theognis v. 963 et Solon 36 v. 21. poetae lyrici posteriorum temporum utrumque coniunctivorum genus promiscue admittunt. poetae scenici eodem dicendi genere utuntur; nam Aeschylus *ἄν* semper addit, Sophocles et Euripides saepius addunt quam omittunt, Aristophanes semper adiungit. Herodotus post *πρότερον ἤ* vel *πρὶν ἤ* semper nudum coniunctivum assumit, post *πρίν* plerumque *ἄν* addit, nonnunquam omittit. [2])

Qua igitur ratione quis demonstrare studeat Thucydidi eandem scribendi varietatem concedendam non esse?

b. particula ἄν addita est.

tempora antecedunt secundaria, sed semper oratio est obliqua.

I, 91, 3. *περὶ αὐτῶν ὁ Θεμιστοκλῆς τοῖς Ἀθηναίοις κρύφα πέμπει κελεύων μὴ ἀφεῖναι, πρὶν ἂν αὐτοὶ πάλιν κομισθῶσι.* quibus adde: II, 6, 2. 84, 1. 102, 5. IV, 97, 2. VI, 71, 2.

---

1) cf. Delb. l. l. pag. 185.

2) cf. quae hac de re diligenter collecta exhibet Sturm: Geschichtliche Entwickelung der Constructionen mit *πρίν*. Würzburg 1882.

B. Optativus.

Optativus ubique est is, quo res coniuncte elata cogitatione fingitur. Ac vel leviter intuenti in aperto est, hunc optativum in locum successisse coniunctivi, quem vel post tempora secundaria a Thucydide plerumque servari supra iam vidimus, ubi tempora illa non tam nuda exstant quam, id quod plerumque in oratione obliqua accidit, aut infinitivis aut coniunctivis aut optativis aut denique participiis instructa, ita ut non tam ab illis quam ab his dependeant. Nam, ut unum laudem exemplum, III, 102, 7: *καὶ ὁ μὲν Εὐρύλοχος πεισθεὶς καὶ τοὺς Αἰτωλοὺς ἀφεὶς ἡσύχαζε τῷ στρατῷ περὶ τοὺς χώρους τούτους, ἕως τοῖς Ἀμπρακιώταις δέοι βοηθεῖν* si comparamus cum iis, quae VII, 16, 1 leguntur: *οἱ Ἀθηναῖοι αὐτῷ, ἕως ἂν ἕτεροι ξυνάρχοντες αἱρεθέντες ἀφίκωνται, τῶν αὐτοῦ* (sic!) *δύο προσείλοντο*, nemo non videt, hic coniunctivum vel post tempora secundaria esse servatum, illic eiusdem in locum substitutum esse optativum. Ac quidnam discriminis inter utrumque dicendi genus intercedat, facile est cognitu. Ubi enim coniunctivus post tempora mere secundaria invenitur, eo salva notionis primariae integritate enuntiatum secundarium quodammodo absolute dictum fingitur; ubi vero optativus ponitur, actio secundaria ad actionem primariam artissime relata denotatur atque accomodata, ita ut coniunctivo condicio praesens vel futura et optativo praeterita animo fingatur. Neque enim, id quod multi viri docti faciunt, coniunctivum post tempora mere secundaria propter orationis quandam alacritatem ac vigorem positum esse ego quidem existimo; nam si, id quod haud ita raro fit, in uno eodemque enuntiati membro uterque modus promiscue invenitur assumptus, quo quispiam iure dixerit coniunctivo vividiorem quandam dicendi rationem denotari, optativo eiusdem orationis volubilitatem iterum neglegi? Immo, eiusmodi dicendi genere certa continentur vestigia, quibus luculentissime demonstratur apud Thucydidem eam normam, qua post tempora secundaria optativus postulatur coniunctivi vicarius, nondum perfectam atque constitutam esse, sed apud posteriores demum scriptores eum modorum electum fieri, ut coniunctivus post tempora primaria et optativus post tempora secundaria et uterque promiscue in oratione obliqua ponantur.

Sed haec quidem hac tenus; nunc iam ad exemplorum rationem ipsam transeamus describendam.

1. ἕως

antecedunt:

i m p e r f e c t a. V, 35, 4. *τά τε ἄλλα χυρία εἶχον, μένοντες ἕως σφίσι κἀκεῖνοι ποιήσειαν τὰ εἰρημένα*: donec illi quoque executuri essent quae convenissent. III, 127, 2.

i n o r a t i o n e o b l i q u a. III, 95, 1,

quibus locis omnibus optativum quo iure in coniunctivi quem vocant exspectationis locum successisse vicarium putemus, ex iis exemplis, quae sub coniunctivo attulimus, evidentissime demonstratur.

2. ἐς ὅσον, ὅσον χρόνον, ὁσάκις

quorum enuntiatorum quamquam nonnulla quodammodo in numero relativorum haberi oportet, tamen hic melius enumerari videntur. Optativi sunt qui vocantur iterativi et tempora ubique antecedunt imperfecta.

VII, 75, 4. *ἐς ἀπορίαν καθίστασαν .... ἐπακολουθέντες ἐς ὅσον δύναιντο* (sic enim cum Vaticano pro simplici *ὅσον* rescribendum esse videtur). II, 49, 6. VII, 70, 5. 18, 3.

3. ὅτε, ὁπότε

optativi ubique sunt iterativi, quorum notionem exceptis III, 97, 3 et VII, 70, 3 proprie denotatam induci particula *ὁπότε* monuisse hic satis est. cf. quae supra sub coniunctivo annotavi.

tempora antecedunt:

imperfecta. II, 79, 6. *καὶ ὁπότε μὲν ἐπίοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, ἐνεδίδοσαν, ἀναχωροῦσι δὲ ἐνέκειντο.* I, 90, 5. 99, 3. II, 13, 7. 15, 1. 18, 2. 34, 7. 49, 3. 51, 4. 65, 9. 76, 4. III, 21, 4. 68, 2. 97, 3. IV, 23, 2. 26, 7. 100, 3. VII, 4, 6. 44, 6. 70, 3 (bis). 75, 3. VIII, 53, 3. 73, 5. IV, 77, 1. *ὁ δὲ Ἱπποκράτης αὐτός, ὁπότε καιρὸς εἴη, ἔμελλε στρατεύειν ἐς τοὺς Βοιωτούς,* ac similiter comparata III, 22, 3. VI, 66, 1.

participia imperfectorum vice fungentia. V, 16, 1. *ἐς ἐνθυμίαν τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀεὶ προβαλλόμενος ὑπ' αὐτῶν, ὁπότε τι πταίσειαν,* et II, 43, 1. *ὁπότε καὶ πείρᾳ του σφαλεῖεν* (sic!), *οὐκ οὖν καὶ τὴν πόλιν γε τῆς σφετέρας ἀρετῆς ἀξιοῦντες στερίσκειν,* ubi miram Classeni annotationem: hypothetischer, nicht iterativer Optativ — non intellego; nam optativo iterativo ubique rem coniuncte elatam denotari quis est qui negaverit?

optativus. VI, 97, 5. *φρούριον ᾠκοδόμησαν, ὅπως εἴη αὐτοῖς, ὁπότε προΐοιεν ἢ μαχούμενοι ἢ τειχιοῦντες, τοῖς τε σκεύεσι καὶ τοῖς χρήμασιν ἀποθήκη,* ubi optativus, qui modorum quadam assimilatione ortus est ex coniunctivo, vere iterativus putandus est.

optativus in oratione obliqua invenitur. VII, 48, 1. *λαθεῖν γὰρ ἂν (ἐνόμιζε), ὁπότε βούλοιντο, τοῦτο ποιοῦντες πολλῷ ἧσσον,* quod enuntiationum temporalium unicum exemplum est, quo in oratione obliqua optativus fertur pro eorum exemplorum numero, in quibus indicativum aut coniunctivum aut denique infinitivum Thucydides posuit. Haud igitur ab re esse duco, cum coniunctivorum exempla iam denotaverimus, etiam ex iis, quibus indicativi vel infinitivi feruntur, exemplis nonnulla digesta hic perlustrare.

Atque indicativus quidem integer relictus est: I, 2, 2. *ἄδηλον ὄν, ὁπότε τις ἐπελθὼν καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων ἄλλος ἀφαιρήσεται* atque consimillime VIII, 96, 2, quibus locis indicativum orationis rectae in oratione obliqua retineri liquet. Aut VI, 49, 2, ubi legitur: *Λάμαχος δὲ ἄντικρυς ἔφη χρῆναι πλεῖν ἐπὶ Συρακούσας καὶ πρὸς τῇ πόλει ὡς τάχιστα τὴν μάχην ποιεῖσθαι, ἕως ἔτι ἀπαράσκευοί τέ εἰσι καὶ μάλιστα ἐκπεπληγμένοι,* optativum alienum esse a totius loci natura nemo dicet. Quibus adde: III, 70, 6. VI, 49, 2 iterum. VII, 47, 3. VIII, 40, 3. 78, 1. alibi.

Infinitivus autem in oratione obliqua legitur: II, 102, 4. *λέγεται δὲ καὶ Ἀλκμαίωνι, ὅτε δὴ ἀλᾶσθαι αὐτὸν μετὰ τὸν φόνον τῆς μητρός, τὸν Ἀπόλλω ταύτην τὴν γῆν χρῆσαι οἰκεῖν* et II, 93, 3, ubi enuntiatum est causale per *ἐπεί* introductum.

Postremo loco duo mihi laudare liceat exempla, quibus vel evidentissime optativum coniunctivi esse vicarium demonstretur.

I, 91, 3 enim ita legimus: *ἐφοβεῖτο, μὴ οἱ Λακεδαιμόνιοι σφᾶς, ὁπότε σαφῶς ἀκούσειαν, οὐκέτι ἀφῶσιν,* quo loco neque de optativo cogitari potest iterativo et ex enuntiati dependentis natura modorum assimilationem exspectamus, h. e. coniunctivum genuinum servandum fuisse nemo non videt. Nam ut ex magna eiusmodi exemplorum serie, quam sub coniunctivo digesta attuli, unum laudem VIII, 90, 3: *ἦν δὲ τοῦ τείχους ἡ γνώμη, ἵνα τοὺς πολεμίους μᾶλλον, ὅταν βούλωνται, καὶ ναυσὶ καὶ πεζῷ δέξωνται,* prioris illius exempli quem legimus optativum huius posterioris coniunctivo evinci vicarium in aperto est.

Altera ex parte cum IV, 111, 1 legimus: *ὁ δὲ Βρασίδας . . . ἑκατὸν πελταστὰς προπέμπει, ὅπως, ὁπότε πύλαι τινὲς ἀνοιχθεῖεν καὶ τὸ σημεῖον ἀρθείη, πρῶτοι ἐσδράμοιεν,* dubium non est, quin optativus ne hic quidem iterativus modorum attractione positus sit. Atque id eo facilius fieri potuit, quod actio secundaria ad tempus praeteritum relata ipsa quoque praeteriti temporis notionem quandam susceperat.

4. *ἐπεί* et *ἐπειδή*.

optativi sunt iterativi et tempora antecedunt imperfecta.

I, 49, 3. *ἐπειδὴ γὰρ προσβάλοιεν, οὐ ῥᾳδίως ἀπελύοντο.* II, 10, 2. VII, 44, 8. 70, 5. VIII, 38, 5. *ἐπεὶ μὴ ἀντανάγοιεν, ἀναχωροῦντες πάλιν ἡσύχαζον.*

optativus aeque ac IV, 111, 1 assimilatione quadam ortus est. VII, 80, 5. *ἐπορεύοντο, ὅπως, ἐπειδὴ γένοιντο ἐπὶ τῷ ποταμῷ, παρὰ τὸν ποταμὸν ἴοιεν ἄνω διὰ μεσογείας.*

5. *Πρίν.*

oratio est obliqua. III, 22, 8. *παρανῖσχον φρυκτούς, ὅπως μὴ βοηθοῖεν ἄλλο τι νομίσαντες τὸ γιγνόμενον ἢ τὸ ὄν, πρὶν σφῶν οἱ ἄνδρες διαφύγοιεν καὶ τοῦ ἀσφαλοῦς ἀντιλάβοιντο* et IV 117, 1.

Haec habui exempla, quibus modorum delectum quem fecit Thucydides in enuntiatis temporalibus illustrarem. Quem si denuo paulisper nobiscum perpenderimus, ita fere comparatum esse inveniemus.

I. Coniunctivus.

a. coniunctivum particula *ἄν* omissa Thucydides quatuor locis admisit ac quidem ter post tempora secundaria, semel in oratione obliqua. Idem in foederis monumento semel nudus legitur. Quod peculiare dicendi genus cur a Thucydidis loquendi ratione alienum sit, nec causis nec ratione demonstratum est.

b. coniunctivum particula *ἄν* addita adhibuit sexagies, post tempora primaria tricies bis, post tempora secundaria duodetricies ac quidem vicies semel in oratione obliqua et septies post tempora plerumque infinitivis aut participiis aut coniunctivis ornata, ita ut non tam ab illis quam ab his enuntiata secundaria dependeant. Idem in foederum monumentis quater post tempora primaria, semel in oratione obliqua invenitur.

Ex quo colligitur, coniunctivum toties fere primaria sequi tempora quoties secundaria.

II. Optativus.

Optativus ubique post tempora secundaria usui est quadragies sexies atque particula *ἄν* ubique deest.

a. optativus iterativus proprie ad tempora imperfecta vel quae eorum vice funguntur applicatus invenitur undequadragies.

At tamen monendum est, notionem eius iterativam ita tantum inveniri, ut actiones secundariae aut eodem tempore congruant cum primariis aut eas antecedant, nunquam ita, ut eas subsequantur. Quod cum casu fieri nequeat, in sola enuntiationum subsequentium natura positum esse apparet, quarum actiones ad tempus futurum relatae inexploratum relinquant, utrum ad eventum aliquem assequendum futurum sit ut iterentur necne.

b. optativum coniunctivi vicarium quinqies legimus, bis post tempora secundaria nuda, bis modorum assimilatione quadam ortum, semel (I, 91, 3), ubi ex analogia exemplorum eadem ratione conformatorum coniunctivus servandus fuisse videtur. Sequitur post tempora secundaria a Thucydide toties fere coniunctivum quoties optativum usu venire. (cf. I, b).

c. optativus orationis obliquae bis tantum legitur. quam paucitatem si cum ingenti eorum exemplorum serie comparaverimus, quibus indicativi aut coniunctivi integri exhibentur, cognoscemus apud Thucydidem indicativos aut coniunctivos orationis rectae plerumque immutatos transire in orationem obliquam.

III. Enuntiata *πρότερον ἤ* et *πρίν* introducta.

Quae particulae modo ad infinitivum additae inveniuntur, modo ad verbum finitum adiunctae. Atque illa quidem structura, quae Homeri est fere unica, antiquior iure habetur, haec, quam posteriores paulatim scriptores susceperunt, recentior. Thucydidis ipsius quis sit harum particularum usus cum viri docti satis bene iam inquisiverint, [1]) equidem numeris tantum exempla denotabo.

a. Infinitivum Thucydides sexagies octies usurpavit ac nudum quidem praesentis undecies, aoristi tricies bis; in accusativi autem cum infinitivo structura praesentis sexies, aoristi undevicies. *πρότερον ἤ* quinquies legitur. Sententiae antecedunt modo affirmativae modo negativae.

b. Indicativum adhibuit duodecies; sexies praecedunt enuntiata affirmativa, sexies negativa. *οὐ πρότρον πρίν* bis, *πρότερον ἤ* bis reperiuntur.

c. Coniunctivum cum *πρίν* consociavit undecies, cum *πρότερον ἤ* semel, sexies *ἄν* particula omissa est: post tempora primaria ter, post tempora secundaria ter, neque est, cur hoc dicendi genus Thucydideum non esse putemus; sexies *ἄν* addita est in oratione obliqua. Enuntiata, quae antecedunt, semper sunt negativa.

d. Optativum bis posuit in oratione obliqua. Enuntiata praecedunt negativa.

---

1) cf. Wagner l. l. et Sturm l. l.

Adversaria critica.

Perlegenti mihi Thucydidis opera ultro se multa obtulerunt, quae correctoris manu egere viderentur; itaque haud ab re esse duxi, nonnulla eorum, quae primum collecta tum meditata haberem, publici iuris facere et benevolo virorum doctorum iudicio committere.

I.

I, 139, 3.

Hoc loco omnes editores coniunctivum *ἀφῆτε*, qui optimorum codicum (A B F) fide defenditur, in optativum *ἀφεῖτε* mutandum esse putaverunt, severae illi legi, ex qua apud nobilissimos atque praestantissimos solutae orationis scriptores coniunctivus cum *εἰ*, omissa *ἂν* particula, consociatus respuitur, ut videtur nimis adstricti. Itaque, quid ego hac de re censeam, paucis liceat exponere. Ac primum quidem hunc coniuntivum pedestris orationis proprium esse et neque ab Homeri dicendi more neque a lyricorum aut tragicorum poetarum loquendi usu abhorrere, satis superque notum est. cf. Delbruekius: Syntaktische Forschungen p. I, 84 sq., 171/72, 175/77, ubi amplissima eiusmodi exemplorum Homericorum exstat collectio, quibus ego haec adicio aliunde desumpta: Callinus: fragm. 1, v. 12/13: *οὐ γάρ κως θάνατόν γε φυγεῖν εἱμαρμένον ἐστὶν ἄνδρ', οὐδ' εἰ προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων.* Tyrtaeus: fragm. 12, v. 34 sq. Solon: fragm. 4, v. 30, multi alii. Soph. Ai. 496. Oed. Rex. 198. Oed. Col. 1444, alii.

At hunc usum poetis concessum nihil valere ad Thucydidis scriptoris dicendi rationem, si quis contra dicat, bene velim meminerit, eundem Thucydidem, ut saepe alibi antiquiore quodam et a poetarum idiomatis haud alieno loquendi genere utitur, ita etiam hic a legitima structura, quam exculto Attico sermone Platones aut Demosthenes secuti sint, paulisper recedere. Neque enim loci desunt, quibus etiam Thucydidem hac conformatione usum esse demonstratur. Nam si VI, 21, 1 cum omnibus codicibus legimus: *ἄλλως τε καὶ εἰ ξυστῶσιν αἱ πόλεις φοβηθεῖσαι καὶ μὴ ἀντιπαράσχωσιν κ. τ. λ.*, equidem intellegere non possum, cur viri docti hic codicum vestigia servanda, illic relinquenda esse putaverint. Immo, etiam nostro loco reponendus est coniunctivus aeque ac I, 72, 2 cum optimis libris manuscriptis (A B E M) legendum erit: *προσελθόντες οὖν τοῖς Λακεδαιμονίοις ἔφασαν βούλεσθαι καὶ αὐτοὶ ἐς τὸ πλῆθος αὐτῶν εἰπεῖν, εἴ τι μὴ ἀποκωλύῃ*, licet libri inferioris notae *ἀποκωλύοι* aut *ἀοκωλύει* varias lectiones ferant.

At si quis ne iis quidem exemplis moveatur, ut hunc usum Thucydidis fuisse censeat, prorsus eiusmodi enuntiatorum duo genera in mentem revocabo: relativorum et temporalium, quae, si vice enuntiatorum condicionalium funguntur, ut post tempora primaria particula *ἂν* ornentur, legitima orationis solutae dicendi consuetudine postulatur. Sed Thucydides etiam in his enuntiatis peculiari quodam et poetarum consimillimo loquendi genere utitur. Nam III, 43, 5 legimus: *νῦν δὲ πρὸς ὀργὴν, ἥντινα τύχητε, ζημιοῦτε,* ubi nec cum Madvigio (Adv. I pag. 316) *ἣν τινα τύχητε* nec cum Stahlio: *ἥντιν' ἂν τύχητε* emendandum est, sed, quod Thucydidis erat, reponendum. Similiter IV, 18, 4.

VII, 77, 5 autem huc referendum non est, quod Vaticanus B ἂν exhibet, ut qui in posteriore Thucydidei operis parte fide atque auctoritate ceteros omnes valde superet.

In enuntiatis vero temporalibus haec est Thucydidis scribendi ratio, ut circa septagies ad coniunctivum particulam ἂν addat, decies eam omittat. cf. I, 137, 2. III, 28, 2. IV, 41, 1, 16, 2. VI, 10, 5. 29, 2. 38, 2. VII, 63, 1. VIII, 9, 1/3. cf. quae sub enuntiatis relativis et temporalibus hac de re disputavi.

Quae si denuo nobiscum reputabimus, cui nostrum dubium erit, quin huiusmodi nudi coniunctivi Thucydidis scribendi rationis proprii et ii viri docti errare putandi sint, qui ad vetustiorem Thucydidis dictionem eas severas regulas transferant, quas ex recentiore demum dicendi usu desumptas esse cognovimus?

II.

II, 68, 3.

Hoc in verborum contextu illud *Ἀμφιλοχίαν τὴν ἄλλην* additamentum ex iis, quae paulo supra leguntur: *ἐστράτευσαν ἐπ' Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν καὶ τὴν ἄλλην Ἀμφιλοχίαν* male desumptum esse videtur; neque enim Amphilochus et urbem et reliquam terram „Argos“ nominaverat, id quod verbis *ὁμώνυμον τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι Ἄργος ὀνομάσας* significatur, sed soli urbi nomen a patria, quae erat Argos, ductum indidit et homines hanc urbem a nomine conditoris cognomine Amphilochicae ornaverunt, ne cum urbe illa Peloponnesiaca confunderetur, et terram ipsam *Ἀμφιλοχίας* nomine usurpaverunt. Praeterea ex iis, quae artissimo nexu adiuncta sequuntur: *καὶ ἦν ἡ πόλις αὕτη μεγίστη τῆς Ἀμφιλοχίας καὶ τοὺς δυνατωτάτους εἶχεν οἰκήτορας,* satis dilucide apparet, antea Thucydidem modo de urbe ipsa locutum esse.

Sic statuenti mihi verba *καὶ Ἀμφιλοχίαν τὴν ἄλλην* additamentum hominis nescio cuius parum attenti habenda atque ideo delenda esse videntur. Neque enim ita raro eiusmodi notulae geographicae vel ethnographicae, quae, quoad non auctor ipse eas addidit, magistrorum studio ac diligentia explicandi causa in margine appingebantur, scribarum vel librariorum incuria in textum ipsum irrepserunt et quasi civitate donatae sunt. Cuius generis emblemata viri docti iure iam multa etiam apud Thucydidem proscripserunt (cf. I, 17, 1. 24, 3. 100, 3. II, 9, 4. 96, 1. III, 51, 3 etc.) neque ego hoc alterum addere dubito.

III.

IV, 41, 2.

Quae hic verba interpositionis loco ab omnibus editoribus adhiberi putantur, non tam Thucydidi quam interpolatori alicui impertienda esse videntur. Cum enim Thucydides, priusquam ad ea, quae apud Pylum eventura erant, describenda accederet, cap. III naturam et munitiones Pyli loci depinxit verbis: *καὶ ἀπέφαινε (Δημοσθένης) πολλὴν εὐπορίαν ξύλων τε καὶ λίθων καὶ φύσει καρτερὸν ὂν (τὸ χωρίον) καὶ ἐρῆμον αὐτό τε ἐπὶ πολὺ τῆς χώρας. ἀπέχει γὰρ σταδίους μάλιστα ἡ Πύλος τῆς Σπάρτης τετρακοσίους καὶ ἔστιν ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ ποτὲ οὔσῃ γῇ,* et inde a cap. III usque ad nostrum locum ea enarravit, quae Demosthenes apud eundem locum praeclare egerat, nonne mirum est, si nostro loco memoria Pyli saepissime laudata redit eadem notula topographica qua supra adiecta? Immo vero, haec non sunt Thucydidis verba, sed glossema

nescio cuius, qui, cum iterum loci mentionem factam et inprimis quasi patriam Messeniorum eum nominatum videret, aut ex revoluto priore loco aut etiam, si quis erat attentus lector, facile ex memoria hic addere potuerit, quod paulo ante se legisse meminerat.

IV.

III, 52, 5.

Plataeenses urbe capta in iudicium vocati hoc unum a iudicibus interrogantur, num toto hoc bello aliquid adiuverint Lacedaemonios. Sed illi, cum capita in discrimen vocata viderent, longa oratione, qua se melius defendere posse sperabant, uti voluerunt et data dicendi facultate orationem habuerunt.

Is brevis est sensus eorum, quae § 4 et 5 leguntur. Sed in his verbis primo statim obtutu offendit repetitio: *οἱ δ'ἔλεγον* et *ἐπελθόντες ἔλεγον τοιάδε.* Nec deerant viri docti, qui corruptelam latere statuerent et medicinam adhiberent. Ac primum quidem Kruegerus prius *ἔλεγον* additamentum esse ratus, quod, cum librarii incuria post *Λακεδαιμονίων* copula *καί* irrepsisset, corrector aliquis ex insequente *ἔλεγον* male coniecisset, et *ἔλεγον* et *καί* delenda proposuit. Sed cur illud *καί* ex glossemate sit ortum, equidem non video causam. Et eadem de causa etiam Herwerdeno assentiri non possum, quamquam id, quod pro priore *οἱ δ'ἔλεγον* bene coniecit *οἱ δὲ λόγον.* non dubito genuinum reponere. Classenus denique priore *οἱ δ'ἔλεγον* responsum breve contineri putat ad id, quod interrogati erant Plataeenses, et eosdem deinde veniam plura verba faciendi orasse censet. Sed si ita se res haberet, prorsus alium verborum nexum exspectaremus, ut: *καὶ οἱ μὲν ἔλεγον* (sie bejahten es) *ᾐτήσαντο δὲ μακρότερα εἰπεῖν,* vel, ne nimis a codicum vestigiis nos recedere putemur: *οἱ δ'ἔλεγον καὶ αἰτησάμενοι μακρότερα εἰπεῖν*, similia; sed duo enuntiata, quorum alterum ad antecedentia, alterum ad subsequentia referendum est, nulla omnino particula neque copulativa neque adversativa a Thucydide iuxta esse posita, quotus quisque est, qui sibi persuaserit? Huc accedit, quod participia aoristi *αἰτησάμενοι* atque *προτάξαντες*, ut a Classeno factum est, ad prius *ἔλεγον* relata sensum pravum, ne dicam, perversum involvunt.

Itaque iam, quod mihi placet, habebis, si ita rescripseris: *οἱ δὲ λόγον αἰτησάμενοι μακρότερα εἰπεῖν καὶ προτάξαντες σφῶν αὐτῶν Ἀστύμαχόν τε τὸν Ἀσωπολάου καὶ Λάκωνα τὸν Ἀειμνήστου, πρόξενον ὄντα Λακαδαιμονίων, καὶ ἐπελθόντες ἔλεγον τοιάδε.*

Qua in verborum structura illud *μακρότερα εἰπεῖν* sensu finali accipiendum esse liquet, neque eiusmodi infinitivos explicativos apud Thucydidem raros esse omnes sciunt. Tamen exemplis nonnullis comprobabo. I, 128, 3. *Παυσανίας ἀφικνεῖται τῷ ἔργῳ τὰ πρὸς βασιλέα πράσσειν,* quibus adde: IV, 114, 2. 127. 2. VIII, 22. 29, 2. multa alia.

Quod autem Herwerdenus coniecit *μακρότερον*, id sic, ut ego explicavi, prorsus supervacaneum esse per se patet. Ne vero te offendat illa *καί* particula, qua participium *ἐπελθόντες* eiusdem iuris esse ac participia *αἰτησάμενοι* et *προτάξαντες* denotatur, legas velim locum prorsus eadem ratione conformatum I 119, ubi diversae actiones participiis expressae sine ullo discrimine iuxtaponuntur. Ne denique id mihi obiurgio vertatur, quod sic *ἐπελθόντες* de Plataeensibus omnibus, non de iis, qui eorum ex numero ad dicendum electi sunt, sit dictum, idem hoc ceteris quoque omnibus viris doctis crimini potest dari, si quidem crimen est. Nam ubicunque

legati in contiones prodeunt vel in suggestum ascendunt, non omnes verba facere, sed unum vel alterum ad dicendum electum, per se patet; et ita etiam apud Thucydidem saepissime omnes legati introducuntur verba facientes, quamvis unum vel alterum tantum verba facere appareat.

V.

IV, 37, 1.

Sic, ut verba leguntur, illud *ὅτι* non habere, quo referatur, per se patet, ac vix quisquam erit, qui Thucydidem ita scripsisse arbitretur. Est ille quidem variandi studio valde obnoxius atque haud ita raro eam verborum compositionem, a qua est profectus, in cursu orationis relinquit, praesertim si amplorum enuntiatorum factae sunt interpositiones; sed nostro loco scriptoris licentiae haec tanta venia danda non esse videtur. Quid igitur faciamus? Herwerdenus *ὅτι* expunxit, Classenus, alii ferri quidem vix posse censent. Ego cum id neque Thucydidis ipsius fuisse mihi persuaserim, nec, cur in textum irrepserit, causam ullam atque rationem inire possim, locum sanum fore existimo, ubi *ὅτι* in *ὡς* mutaverimus, qua particula ad participium *διαφθαρησομένους* referenda optime, ut puto, verba nostra ex Cleonis et Demosthenis sententia dicta denotantur. Neque desunt loci similiter comparati, quorum nonnullos laudare placet. III, 33, 1. 115, 4/5. V, 39, 3. VII, 7, 4. VIII, 100, 2: *ἄλφιτά τε καὶ τἆλλα ἐπιτήδεια παρασκευάζειν ἐκέλευεν ὡς, ἢν πλείων χρόνος γίγνηται, ἐκ τῆς Λέσβου τοὺς ἐπίπλους τῇ Χίῳ ποιησόμενος*, quod fere eiusdem compositionis exemplum est. Ceterum illud *ὡς* propter litterarum similitudinem facillime in *ὅτι* aberrare potuisse liquet, et enuntiatum condicionale ipsum aeque conformatum esse ac IV, 23, 2: *εἴρητο, ἐὰν καὶ ὁτιοῦν παραβαθῇ, λελύσθαι τὰς σπονδάς*, vel VI, 56, 3: *ἤλπιζον γὰρ καὶ τοὺς μὴ προειδότας, εἰ καὶ ὁποσοιοῦν τολμήσειαν, ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐθελήσειν σφᾶς αὐτοὺς ξυνελευθεροῦν* vel I, 77, 3 monuisse hic satis est.

VI.

V, 60, 1.

Verba *τῶν Ἀργείων* quo referantur, primo obtutu habere non videntur, neque deerant viri docti, qui auctore Herwerdeno (Stud. 76) ut glossema expungenda esse censerent, (cf. Classen a l.), gravissimum, ut videtur, argumentum inde ducentes, quod unus inferioris notae codex verba non habet. Classenus cum Poppone ea retinenda esse iudicat ac, quomodo vult construi, demonstrat versione „da sie diese Erklärung von den Argivern abgaben", ita ut ad *ταῦτα* referenda esse videantur. Sed hanc interpretationem tantum abest, ut collaudem, ut contra falsam eam esse mihi persuaserim. Nam *ταῦτα τῶν Ἀργείων* per se nihil aliud significare potest, quam propositum re vera ab Argivis factum; atqui nusquam Argivos quicquam proposuisse constat, ut et iis, quae initio paragraphi leguntur, verbis: *τῶν δὲ Ἀργείων δύο ἄνδρες . . . Ἄγιδι διελεγέσθην μὴ ποιεῖν μάχην*, et iis, quae nostro loco adduntur: *ἀφ' ἑαυτῶν καὶ οὐ τοῦ πλήθους κελεύσαντος εἶπον*, satis superque demonstratur.

At re vera non agitur propositum ab omnibus Argivis factum, sed simulant duo illi viri, quae ipsi dicant agantque, ea omnium Argivorum auctoritate atque consensu fieri. festive! Nonne addenda erat scriptori particula *ὡς* vel simile quid, quo simulatio denotaretur? Quid igitur tu

facis? Equidem verba, cum neque cogitare mihi possim, cuius magistri aut librarii incuriae vel temeritati tribuenda sint, licet Thucydidis opera iam antiquitus eiusmodi additamenta saepe experta sint, neque ita, ut Classenus fecit, explicata esse censeam, et ad *οἱ μὲν* referri posse puto, aeque atque initio paragraphi *τῶν δὲ Ἀργείων δύο ἄνδρες* legitur, et ad totam verborum *οἱ μὲν ταῦτα εἰπόντες* societatem. Nam verba *οἱ μὲν εἰπόντες* substantivi loco adhiberi atque inde genitivum partitivum dependere posse, quis est, qui neget? Neque mihi ad totam verborum *καὶ οἱ μὲν ταῦτα εἰπόντες τῶν Ἀργείων* seriem servandam causa inde afferri non posse videtur, quod Thucydides post omnes fere orationes finitas sive rectas sive obliquas nomina eorum, qui loquebantur, denuo nominare solet atque nominibus eorum hominum, qui vel contra dicunt vel audiunt, coniunctissime opponere. Ac ne offendas in illo *μέν*, quod non habere videtur correlativum *δέ*, revolvas, quae Baeumleinius: Griech. Partikeln pag. 159 sq. praeclare de hac particula disseruit.

VII.

VI, 38, 3.

Illud *δι' αὐτά* haud scio an glossema habendum sit. Nam particula *τοιγάρτοι* consecutiva per se ipsa est tanta vi ac gravitate, ut ea sola satis dilucida ac gravis denotetur conclusio. Prius enim *τοί* nihil aliud est quam *τῷ* demonstrationem, quo conclusionem induci notum est; *γάρ* particula significat hanc conclusionem per se dilucidam atque perspicuam esse; *τοί* posteriore animi quodam affectu atque fervore vis et gravitas consecutionis adaugetur atque amplificatur. Quam particulam gravitatis plenam si recte volumus vertere, ita nos oportebit vertere: darum denn eben, deshalb eben, aus den angeführten Gründen, similiter. Et iuxta hanc gravissimi ponderis particulam, qua et causae, a quibus proficiscitur conclusio, denuo quasi in conspectu positae designantur, et causarum eventus magno animi affectu introducuntur, illud *δι' αὐτά* tenue atque exile supervacaneum non esse videtur? Immo vero, additamentum est, quod aliquando in margine particulae *τοιγάρτοι* explicandae causa adscriptum erat ab interprete notionis *τοιγάρτοι* particulae genuinae parum experto et inde incuria nescio cuius librarii in textum irrepsit.

Ceterum vix quidquam crediderim ad *τοιγάρτοι* vel *τοιγαροῦν* particulas apud ullum scriptorem additum inveniri, quod quidem ad augendam conclusionis gravitatem sit additum. cf. etiam longam exemplorum seriem, quam Baeumleinius l. l. pag. 255/56 enumeravit.

VIII.

II, 70, 4.

Ante *ἕκαστος* Stahlius approbante Herwerdeno *κατῴκησαν* in textum recepit cl. Diodoro XII, 46, 7, ubi paulo fusius idem memoriae prodit Diodorus quod Thucydides. Nam huius: *καὶ οἱ μὲν ὑπόσπονδοι ἐξῆλθον* respondent illius: *οἱ μὲν Ποτ. ἐξέλιπον τὴν πόλιν* et illius: *ἐπὶ τὴν Χαλκ. καὶ ᾗ ἕσκαστος ἐδύνατο* huius: *καὶ παρελθόντες κ. τ. λ.* Diodorus igitur brevem Thucydidis memoriam pro uberiore suae aetatis dicendi consuetudine pluribus verbis reddidit et ubique fere alia verba ac fecit Thucydides supposuit. Quo igitur iure Stahlius inde Thucydidis scripturam restituendam vel corrigendam vel supplendam esse censet? Quae est ratio? Huc accedit, quod omnino nescimus, utrum Diodorus, cum verba illa scriberet, Thucydidis ipsius opera inter

manus habuerit, an ex alio fonte eoque iam derivato desumpserit. Ephorus quidem saepissime Diodori fons erat. Quis igitur negare potest vel Ephorum locum Thucydideum suis ipsius verbis exornatum tradidisse? An Ephorus Thucydidis breviloquentiam non saepissime orationis ornamentis vel ubertate, quae suae aetatis auribus essent accommodata, exstruxit et amplificavit? Cui igitur dubium erit, quin Stahlii coniectura sit reicienda?

Etiam Classenum sequi non possum, qui ᾗ ἐδύνατο explicat: Wo sie ein Unterkommen finden konnten, quasi verbum οἰκεῖν vel κατοικεῖν vel simile quid sit supplendum. Immo, si omnino quid mente addendum est, quod ne opus quidem est, ex verbo, quod antecedit ἐξῆλθον, ut saepissime fit, simplex ἐλθεῖν addi oportebit, et illud ᾗ non significat „ubi" sed „quo", ita ut hoc quoque enuntiati membrum dependeat a verbo eundi ἐξῆλθον. Totus igitur locus sic erit vertendus: et illi emigraverunt in Chalcidicam et quo quisque poterat (scilicet emigrare). Nam non omnes in Chalcidicas urbes commigravisse, sed haud paucos, quo quisque se optime domicilium collocaturum esse sperabat, eo profectos esse, per se intellegitur.